4561/A//

C38

135

A.XL

17/n

voir p. 128. –

2 ouvrages

38207

P. e
51104
1179

SYSTEMA

MEDICINAE HERMETICÆ GENERALE,

In quo

I. Medicinæ veræ fundamentum.
II. Sanitatis conſeruatio.
III. Morborum cognitio, & Curatio.

Methodo dilucidiſſima generaliter explicantur

AB HENRICO NOLLIO PHILOchymiatro.



PROSTAT.

In nobilis Francoforti Paltheniana.

Anno MDCXIII.

3. CS.

REVERENDO ET DOCTISSIMO VIRO, Dñ. Ioanni Ehrmanno apud Reiſcurianos Verbi diuini miniſtro fideliſſimo: vt &

INTEGERRIMO VIRO Dn. Nicolao Nollio, Ciui Zigenhainenſi: Huic patri, illi ſocero: Parentibus & Dominis meis omni obſeruantiæ genere Colendis. S. P. & æternam benedictionem in IESV CHRISTO precor.

ITA eſt: Dilectiſſimi parentes: non ſine paruis ſumtibus Scholæ Hermeticæ arcanis inſudaui: nec ſine vehementi dolore & labore quæſiui Medicinam, non qua imperfecta metalla in aurum permutentur, ſed qua grauiſſimi morbi radicitus euellantur. Haud tamen felici ſucceſſu: Nihil enim, quod ſcitis, inuenire hactenus libuit, in quo animus meus conquieſceret. Neſcio num mea importunitate, an vero quorundam Collaboratorum fraude id factum fuerit. Socii ſane, ait excellentiſſimus Crollius, moroſa inhabili-

tas, arrogans loquacitas, pertinax incredulitas, inuida & deteſtanda infidelitas, Epicuræa tandem indignitas in omni operatione affectum impedit, atque diſturbat. Cum vero Philoſophi vbique dicant, eſſe in Mercurio id, quod quærunt ſapientes, ego Mercurium vulgi eſſe, de quo Philoſophi loquantur, arbitratus circa eum operari volui, vt viderem, num ex eo aliquid eruere poſſem, quod mihi vel ſpem ad omnium prȩſtantiſſimam medicinam faceret. Sed ſi Philoſophos attentius legiſſem, atque dextre intellexiſſem, vtique Mercurium Philoſophorum nō eſſe Mercurium vulgi deprehendiſſem! Id enim aperte totus Philoſophorum conſenſus ſtatuit, & aſſeuerat. Vnde eo res mea peruenit, vt vniuerſalis remedii veſtigationem iam ad tēpus ſim depoſiturus, contentus ſolummodo quibuſdam particularibus inuentis non contemnendis, & in ſpeciali Hermeticæ medicinæ perſpicue exponendis. Quamuis igitur meo ſiniſtro, & infeliciſſimo facto factum fuerit, vt quo feruentiore conatu animi ſe-

cre-

cretiſſima illa ſtudia ſectatus fuerim auidius, eo obtrectante maleuolorum inuidia & fortunæ fluctibus hactenus iactatus fuerim acerbius, æquitatis tamen neceſſitas exigit, vt, quamdiu vlterius non datur, ipſa me tantæ rei cogitatione, ſola & recordatione ſaltem conſoler. Eum in finem hoc generale medicinæ Hermeticæ ſyſtema cõſcripſi. Quod vobis inſcribo duabus de cauſſis. 1. Vt inde fundamentum, quib. meum ſtudium nitatur, percipiatis, & 2. Vt amorem veſtrum paternum inde magis magiſque in me ſuſcitem: ſiquidem facile hinc, ſi attente legeritis, veſtros ſumtus in me collocatos non eſſe fruſtraneos percipietis, & minime dubitabitis, quin veri Philoſophi omnia, quæ in ipſo ſyſtemate Orbi vniuerſo offero, ſuo calculo ſunt approbaturi, & meum conatum ad Dei altiſſimi & ſolius Optimi honorem, nec non ad proximi comõdum ſpectantẽ dilaudaturi. Valete, & veſtrum filium reipſa amare pergite. Gueilburgi e Muſis. 3. Maii Anno 1612.

V. Obed.

F. H. Nollius.

Ad Momum.

Si non hanc lucem vis cernere, Mome maligne,
Cæcus es: in tenebris viue maniq́; tuis.
Non tibi, perſpicue quæ ſcripſi hic, ſcripta ſed huic ſunt,
Cui Sophiæ illuſtris dogmata vera placent.
Non igitur carpas mordaci hunc dente libellum;
Qui tibi non natus ſed ſatus eſto ſophis.

PRO-

PRODROMVS MEDICVS.

Præfatio.

OMNIVM artium nobiliſſima eſt medicina, vtpote quæ ad conſeruandam nobiliſſimam mundi ſubſtãtiam, eamque & a morbis præſeruandam & liberandam (hominem intelligo) maxime omnium collimat. Qua de cauſſa vt nobile habeat fundamentum, cui innitatur, neceſſe eſt Quodnam vero ſit, in hoc tractatu tanquam Prodromo ſyſtemati meo medico præmittere placuit: Quo melius enim fundamentum fuerit iactum, eo firmius & præſtantius ædificium, quod ſuperſtruitur, erit.

CAPVT I.

De ſolido veræ medicinæ fundamento.

1. Solidum veræ medicinæ fundamentum eſt lumen, vt Theologiæ verba Dei.

Itaque vniuerſæ medicinæ iudicium ex ſolo lumine naturæ petendum & formandum eſt. Sed pauci hoc præſtant, plurimi al-

terius figmentis tanq̃ indubitatis principiis nixi veritatẽ a ſe lõge propellũt. Qui ſi illud tempus in contemplandis rebus ex lumine naturæ collocarent,quod in Sophiſtarum libris legendis & diſceptandis inſumunt,ex ipſa natura ξὺν Θεῷ multo mirabiliora,iucundiora & præſtantiora in ſalutem generis humani addiſcerent. Nihil adeo inimicum eſt veritati, niſi eſſe mancipium alterius doctrinæ. Mundus cum non ſit naturæ arcanis dignus, Doctores & Præceptores eligit ſibi ſimiles,qui iuuentutem in ſophiſticis altercationibus erudiant, ingeniumque bonum alienis exornẽt plumis. Cygnus Corui plumis deformatur Auri ſtercore commaculati nitor proprius nõ emicat. Dum alterius Sophiſtæ ingenium & vires addiſcimus & miramur, naturæ vires & virtutes nec mirari, nec rimari poſſumus. Quid ergo faciendum?

Dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquæ.

Id eſt: Vt Scaliger ait *exer. 104. ſ. 6.* Ex libris colligere, quæ prodiderint auctores, longe eſt periculoſiſſimum. Rerum ipſarum cognitio vera e rebus ipſis eſt. Non arbitrare a me Philoſophorum libros plane reiici,atque e manibus ſtudioſorum excuti! Siquidem & hi ſuam habent vtilitatem, quando diligenter leguntur, & repetuntur: imo ex iis datur introitus ad naturæ veritatem perſcrutandã: *Vbi ita ſunt Sapientum ſcripta legenda*, vt ſimul eorum fiat cũ natura collatio. Conſenſus di-

ctorum

ctorum philoſophicorũ & naturæ deprehẽſio nos ad veritatis & ſapientiæ inquiſitionem alacriores & expeditiores reddit: Et ſi eiuſmodi informatio defuerit, occaſione meditandi ſæpe deſtituemur; imo magis magiſque ad ſtudium animamur, quando inſignes Philoſophi ſuæ Philoſophiæ vtilitatem nobis deſcribunt, viamque qua ad eam aſſequendam vtendum nobis ſit, exponunt. Sophiſtas, eorumque libros ſolos reiicio. Inutiliter hora conſumitur, quæ in Sophiſmatum lectione inſumitur. Hora certe præterlapſa reuocari nequit. Et vita noſtra breuis eſt, vt indagationẽ veritatis differẽdi nulla nobis reſtet cauſſa. Sophiſtæ vero ex ſuis fructibus dignoſcuntur. 1. Altercationibus delectantur. 2. Ad mentem alterius controuerſias definiunt. 3. De ſenſu dicti alterius pertinaciter litem mouent. 4. Ex ſenſus verborum ab aliis prolatorũ indagatione ingenioſi haberi volunt. & 5 principiis fictis innituntur. Vnde nihil ſolidi conſequũtur, quo & Dei honos illuſtretur, & proximi vtilitas promoueatur. Vt ergo plerunque in theologorum ore, non in corde pietas: Ita in Sophiſtarum ore Sapientia, non in animo habetur. Hi ſunt, quos e fundamento medicinæ penitus excludo: vt includo Eos, qui ex lumine naturæ vere & bene philoſophantur.

II. Lumen naturæ eſt animæ noſtræ

inſita facultas, qua naturas rerum in ſuis genuinis principiis & operationibus vere cognoſcimus.

III. Cum vero natura mixtorum hic potiſſimum cognoſcēda nobis ſit, mixtorum genuina principia, nempe interna hic primo euoluemus, & 2. medium, quo ad luminis naturæ cognitionem prouehamur, edocebimus.

CAPVT II.

De elementis, ſemine, principiis hypoſtaticis, & balſamo.

I. Mixtorum principia interna ſunt Materia & Forma.

II. Materia eſt vel Remota, vel Propinqua.

III. Materiæ remotæ nomine comprehenduntur elementa.

IV. Elemēta ſunt terra, aqua & cœlū.

Ex his Deus omnia condidit, quęcunque modo in mundo mixta ſunt & reperiuntur: poſtea ea cōtentorum matrices fecit, vt hæc in iis generentur & conſeruentur. Cœli nomine complector regionem aeris inferiorē, quæ proxime terræ adiacet, ſuperiorem, in qua fiunt meteora; Et ſupremam, in qua ſunt aſtra: ignis, (qui eſt coagmentata cœli eſſentia in calorem exaltata) per ſingula elementa

menta diſperſus eſt mirãdarum rerum opifex & gubernator: vnde quælibet elementa in ſe habent ignem, quo contentorum generationem & conſeruationem promoueãt. Cum vero ignis in quibuſdã elementis mole impediatur, vt per ſe ſuo officio fungi nequeat, Deus mirabiliter ignem in ſole collocauit, vt ab hoc tanquam vniuerſali rectore ignis in iis, in quib. quaſi ſepultus iacet, prouocetur, excitetur, & ita generationi rerum inſeruiat. Hinc videmus Sole ad nos propius accedente in vere plantas progerminare & reuireſcere, ſemina ſua emittere, atq; ſpeciẽ multiplicare. Et ne ignis inſit, & per omnia elementa diffuſi veritas occultetur, Deus quædam in his inferiorib. perpetuo ardẽtia creauit, conceſſitq;, vt ignẽ igni vel motu ex multis reb. corporeis eliciamus, nẽpe igni ex ligno, colliſione attrituque vehementiſſimo ex lapidib. compactiſſimiſque corporibus. Hæc ſi intellexeris, naturæ arcana facilius explorare poteris.

V. Materiæ propinquæ nomine intelligo ſemen & principia hypoſtatica.

VI. Semen eſt, e quo in conuenienti matrice caloris & innati (a) ſpirit⁹ auxilio aliq.d naſcit᷑ tale, qual. antea nõ erat.

(a) Spiritus hic plerunq; eſt corpore obrutus, ac proinde corpus illud prius bene ſoluendum & aperiendum, quo actiones

ſpiritus ſint efficaciores. Quod itaq; corpus exquiſitius & conueniẽtius ſoluitur, eo fœcundiorem ſpeciei multiplicationem ſpiritus inſitus producit. Spiritus hic a noſtris per ſe ſemẽ dicitur, quia principalis pars ſeminis eſt. Spiritu hoc è corpore egreſſo, corpus ad cõſeruationem ſpeiciei nihil faciet, etiãſi in matricem debitam coniiciatur: vt in frumento antiquato videre eſt. De hoc Spiritu, qui eſt in omnibus idem, & vera mundi anima, ſuo loco & tempore plura differemus.

VII. Principia hypoſtatica ſunt principia vitalia, actiua & formalia corporа, ſeminum rationes & ſoboles, horum inſtructa & dotata proprietatib. quarum vigore conſtantes poſt ſe tincturas relinquunt: Suntque temperamentorum & κράσεως, ſeparationum, coniunctionum, aliarumque actionũ cauſſæ propinquæ, abſconditos agendi modos & fontes aperiunt, & occultarum proprietatum, quæ vulgo inſcitiæ aſylum ſunt, explicationem ſuppeditant.

Principiorum hypoſtaticorum cognitio neceſſaria eſt: quippe ſine iis nec ſanitas, nec morbus perfecte intelligi poteſt: imo vtrũque ab iis pendet, vide Paracelſ. Paramir. *lib.*

1. de

1. de origine morborum ex tribus primis ſubſtā-tiis. Eo ergo diligentius incumbe, vt principia hypoſtatica exquiſite cognoſcas & hinc in medicina ſolidius & firmius ponas fundamentum.

VIII. Principia hypoſtatica ſunt Sal, Sulphur & Mercurius.

In hæc n. tria artificio ſolutionis quodlibet corpus mixtum Chymici & veri philoſophi partiri poſſunt.

IX. Sal eſt principium firmum, fixū & ſubſtantificum rerum cunctarum.

Ideoque cum terræ puro ac puto elemēto comparatur: Quod Sal non eſt ſua natura frigidum & ſiccum (vt volunt eſſe terram) quæ qualitates nihil aliud ſunt; quam mors rerum, ſed potius calidum ac qualitate actiua præditum, quippe quod inſeruire debet generationi rerum, cunctarum. Hoc principium duo reliqua principia in vnum conſtringit, congelat, cuncta reddit ſolida, naſcendi vigorem exacuit, mirabiles penetrādi, diſſoluendi, detergendi, euacuandiq; virtutes obtinet, corpora a putrefactione præſeruat, ſaporumque differentias exhibet.

X. Sulphur eſt principium oleaginoſum, viſcidum, caloris naturalis pabulum, cetera principia tanquam intermedia natura conglutinans.

Confertur igni: facilime namque flam-

mam concipit ac ardet. Quemadmodum & reliqua omnia, quæ de natura eius participant, cuiuſmodi ſunt reſinoſa & pinguia. In hoc principio ſunt odores; vt & in ſale ſapores. Ex vtroq; vero colores, licet & hi potiſſimum conſpicui ſint in Merucrio, quod hic adiunctũ ſibi habet ſal volatile rerũ omniũ.

XI. Mercurius eſt liquor acidus, rarus, permeabilis, aereus ac ſpirituoſus; balſami proximum inſtrumentum.

Hoc principium reliqua duo actionum frequentia ad ſiccitatem & ſenium in horas feſtinantia aſſidua irrigatione refocillat, & fluida labiliq; ſubſtantia mixtionem faciliorem reddit. Analogia reſpondet aeri & aquæ: non enim tantum aqua illa mineralis, quam & alio nomine hydrargyrum & argentum viuũ appellãt, Mercurius dicitur, ſed omnis aqua actiua aliqua virtute dotata Mercurius quoque appellatur propter excellentiã. Aeri reſpondet, quod calori admotus nihil fere eſſe deprehendatur, quam aer ſeu vapor, qui ſtatim in auras euaneſcat: aquæ vero comparari poteſt, quod ſit fluidus, nec proprio ſed alieno termino, dum in ſua natura eſt, contineatur, quæ eſt humidi apud Ariſtotelem definitio.

XII. Hucuſq; fuit materia mixtorũ: formam mixtorum Hermetici nominant balſamum.

XIII. Balſamus eſt æthereus Spiritus incorruptibili & cryſtallino ſale corporis mixti imprægnatus.

Quamdiu hic Spiritus tria illa principia hypoſtatica conuenièter in vna natura ſubſiſtentia animat. tamdiu corpus illud ſaluum manet: Contra, ſi ſecus fit: Balſamus eſt ipſa tria principia in ſpiritualem naturam exaltata; ſeu eſt natura e tribus principiis hypoſtaticis in ſpiritualem, clariſſimam & incorruptibilem eſſentiam exaltata. At obiicis, balſamum incorruptibilem non poſſe dici, quia omne corpus a corruptione non præſeruat: Reſp. Balſamus conſideratur vel in ſe & ſua natura, vel relate ad corpus, cui ineſt. In ſe conſideratus balſamus eſt incorruptibilis, ac proinde etiam natura, qua a corruptione aliud tueri poſſit, dotatus eſt. Verum cum corpus ipſum naturas alienas, quib. vis balſami obtundatur, vel aliquod volatile principium expellatur, aſſumat, balſamus ſuam virtutem in defendēdo corpore a corruptione exercere nequit: Receptiuum enim, ait ſubtilis Scaliger ex. 16. ſ. 3. non recipit per modum imprimentis, ſed per modum receptiuitatis.

CAPVT III.

De anatomia Galenica.

I. Principiis mixtorũ enodatis, ad medium,

dium, quoad luminis naturæ cognitionem, ſeu ad veritatem ipſarum rerum certiſſimam perueniamus, recta progredimur.

II. Medium tale vno verbo dicitur anatomia.

III. Anatomia vero eſt duplex: Galenica vel Hermetica.

IV. Anatomia Galenica eſt artificioſa cadaueris humani ſectio, ex qua vaſa continentia cum ſitu, forma & contentis corporeis dignoſcuntur.

Dicitur Galenica: quod eam ſolam ſectatores Galeni magnifaciunt & amplectũtur. Vaſa continentia ſunt vel vehicula ſpirituũ, vel ſanguinis, vel excrementorum, vel chyli. Vehicula excrementorum appellantur, emunctoria, vtpote per quæ euehuntur & emunguntur impura. Huiuſmodi anatomia vt ſine anatomia hermetica nihil fere vtilitatis habet, quam medicinæ conferat: ita cõiuncta cum noſtra medicina medicinæ fundamentum multum firmat & corroborat, præſertim quando cadauera hominum, qui ex morbo aliquo periere, anatomice aperiuntur, vt ſedes rei alienæ, cuius victoria balſamus ab homine diſceſſit, inquiratur, & ex obſeruatorum ſymptomatum, quibus ante obitum æger diſcruciatus fuit, collatione cum

cum natura aliena, eiuſq; ſede, de morbi natura exquiſitius iudicetur, quo in ſimili caſu expeditiue medicamina ſpecifica aliis applicentur.

CAPVT IV.

De Macrocoſmi cum Microcoſmo collatione.

I. Anatomia Hermetica eſt vel Collatio macrocoſmi cum microcoſmo, vel Alchymia.

Dicitur *Hermetica*, non quod ab Hermete defluxerit, ſed quod ſoli Hermeticæ ſciẽtiæ ſectatores eam amplectãtur, & ad medicinæ baſin firmandam addiſcant.

II. Collatio macrocoſmi cũ microcoſmo ſeu homine certam ſanitatis & morborum cognitionem ſuppeditat: quia vna & eadem vtriuſque eſſentia eſt.

Cum hoc tamen diſcrimine: quod quicquid maiore mundo circumcirca diffuſum cõtinetur, totum hoc microcoſmo ceu cõpendio contrahatur: ideo enim homo, *teſte Gregorio Nazianzeno initio lib. de hominis opificio*, factus eſt, vt Deus in ipſo exprimeret ſub breui quodam compendio, quicquid diffuſe ante fecerat: vnde fit vt alia quidem ſit forma extrema microcoſmi, quamuis non eſſentia alia: quemadmodum nucleus pomi & pomus eandem habent naturam,

diuerſam vero externā formam. Theophraſtus Paracelſus, id ipſum iam dudum intellexerat, ac proinde collationem macrocoſmi cum microcoſmo magnis extulit laudibus. Audiamus ipſum.

Paragrani alterius tract.1.de Philoſoph.p.238.

Was auſſerhalb der deütlichen/ zeigenden/ augenſcheinlichen Philoſophia geführet vnnd gebraucht wird/ das iſt alles vmb ſonſt.

Eiuſdem Tract.p.235.

Nichts iſt im Leib/ daß dir nicht außwendig werd genugſam angezeigt/ ſondern alles manigfaltig.

Eiuſdem p. 234.

Der Artz ſoll erſtlich wiſſen die Himel vnd Erden in jrer Natur/ ſpecie vnd eſſentia, vnd ſo er in derſelbigen vnderricht iſt/ ſo iſt er darnach einer/ der in die Artzeney tretten mag.

Lib.4. de origine morborum matricis.

Auſſerhalb der mundaniſchen Vnderweiſſung kein Artz ſein mag.

ANNOTATIO.

Quam ſcabioſe quidam loquātur de collatione macrocoſmi cum microcoſmo, in propatulo eſt. Vbi vnam vel alteram vocem, iudicio ipſorum inconcinnam & falſam, apud noſtros deprehēdunt, in Philoſophos veros inuehuntur, atque collationem hanc tanquam inutile medicinæ pondus repudiant, non intelligētes, in hac doctrina quædam dici, non vt abſolute primam iis [illegible] cemus

mus operam, ſed vt in iis vires, quib. micro-
coſmum promoueant, vel corrumpant, ad-
diſcamus, atque potiſſimum mineralium &
meteororum, quæ in macrocoſmo generã-
tur, collationem cum mineralibus & meteo-
ris microcoſmicis inſtituamus, cum grauiſſi-
mi morbi vulgo medicorum incurabilibus
annumerati ex mineralibus & meteoris in
homine oriantur. Horum generationem
& naturalem deſtructionem ſi in macrocoſ-
mo neſcieris, eorum etiam generationem
& deſtructionem, quando morbos in mi-
crocoſmo mouent, ignorabis: vbique enim
idem generandi modus: Eadem deſtruendi
cauſſa. Atque hinc eſt, quod infra ad genera-
tionis, conſeruationis & corruptionis con-
ſiderationem lectorem inſtigem, & admo-
neam. Huc ergo tota tuæ collationis inten-
tio collimet. Non parum momenti huc af-
fert vera Alchymia, de qua ſequenti capite
dicturi ſumus: Hæc enim meteororum na-
turam in mineralibus conſiſtentem oſten-
dit ſenſui, & metallorum, lapidumque natu-
ram generatiuam & deſtructiuam, exquiſite
dilucideque proponit, vt hinc ii, qui veræ
Alchymiæ principiis & fundamentis inſtru-
cti ſunt, ex arte macrocoſmum cum micro-
coſmo ſciant conferre, & non ſine laude gra-
uiſſimos morbos ex mineralium & meteo-
rorum generatione in homine obortos, rũ-
pantur vt ilia codro, depellant.

III. Hic te oportet ſcire, 1. Ea, quæ macrocoſmum conſtituunt 2. quibus virtutibus ſint prædita, & 3. generationem, conſeruationem & corruptionẽ rerum.

IV. 1. Ea quæ macrocoſmum conſtituunt, compendioſe in ſubiectis propoſitionibus deſcribam.

I.

Macrocoſmi materia fuit quoddã confuſum chaos, ex quo conditus eſt.

Chaos illud a Deo *ex nihilo* fuit coactum.

II.

Chaos illud diuino verbo in Continentia & Contenta diuiſum eſt.

III.

Continentia ſunt *cælum*, *terra & aqua.*

Hæc ſunt elementa de quib. ſecundo capite tractauimus.

IV.

Ex continentibus quædam ſunt Superiora, quædam Inferiora.

Superiora ſunt *cœli regio media & ſuprema*: Inferiora ſunt, *aqua terra, & cœli regio infima*, (quæ proxime cum terra & aqua cohæret.)

V.

Contentorum alia ſunt Cœleſtia, alia Terreſtria, alia Intermedia.

Cœle-

Cœleſtia voco, quæ in ſuprema, cœli regione continentur, vt ſunt *aſtra*, quæ in firmamento cœli videntur. Terreſtria, alia ſunt mineralia, alia vegetabilia, alia animalia. Intermedia ſunt meteora, quæ & in aere & ſub terra fiunt.

IV.

Ea omnia, quæ in dictis propoſitionibus recenſui, in vno licet inuenire homine:

Vt meditanti facile apparet; non tamen ſecundum externam formam, ſed ſecundũ virtutes eſſentiales. Nihil eſt in mundo, ait Crollius verus Philoſophus, & medicus, cuius proprietas non etiam in homine microcoſmo reperiatur: Deus enim glorioſus non creauit aliquam creaturam ſapientiorem ac nobiliorem *Homine* quia omnium animalium mos ac primum eſſe in ipſo reperitur, ac cum ſit omnium creaturarum faſciculus, ſeipſum ipſe in omnis carnis faciẽ, in omnis creaturæ ingenium, inſtar poetici alicuius Protei, effingit, fabricat & transformat: Nã vt reconditioris literaturæ ſcientiſſimus Picus Mirandulanus aſſerit, naſcenti homini omnifaria ſemina, & omnigenæ vitæ germina indidit pater cœleſtis, quæ quiſque excoluerit, illa adoleſcent, & fructus ſuos ferent in illo: ſi vegetabilia, planta fiet: ſin ſenſualia, obbruteſcet: ſi rationalia, cœleſte euadet animal: ſi intellectualia, angelus erit & Dei fi-

lius: Et ſi nulla creaturarum ſorte contẽtus, in vnitatis ſuæ centrum ſe receperit, vnus cũ Deo Spiritus factus in ſolitaria patris caligine, qui eſt ſuper omnia conſtitutus, omnibus anteſtabit.

V. Virtutes rerum macrocoſmicarũ, vel ſunt ex manifeſtis operationibus manifeſtæ, vel ex ſignis præcognoſcũtur, vel philoſophico Alchymiæ beneficio indagantur.

VI. Huius loci eſt in certis canonib. explicare, quomodo virtutes rerum homini ſalutares ex ſignaturis explorentur.

Venena & non Venena mirabili mixtura in homine coiucre quidem, ſed ita tamen, vt venena ſuperata a non venenatis vires ſuas in microcoſmo exercere nequeant, niſi a rebus extraneis pernicioſis ꝑpliciantur, & aliorum auxilio ſuperent. Deus omnipotens vero & benignus, vt homo ſibi a venenatorum vſu caueret, ei dedit iudicium, quo non venenata a venenatis & pernicioſis ſecerneret, eaque, quæ tantum ſibi ſalutaria eſſent, veneniſque ſua vi reſiſterent, ſibi applicaret, Iudicii huius praxin paucis delibabo propoſitionibus.

I.

Eorum, quæ circa hominem ſunt, vel

vel cibi potuſque rationem ſubeunt, operationes cum in microcoſmum, tum in naturam extraneam diligentiſſime indagato.

II.

Quodcunque habet ſignaturam partium hominis, illud confortationi earundem inſeruit, ac proinde morbos, quibus eæ partes conflictantur, fortiter pellit.

1. *Satyrionis radix* formam teſticulorũ exquiſite repræſentat: vnde Philoſophi intellexerunt in eo eſſe ſpecificum arcanum ad conceptionem, proliſque generationem iuuandam, quod ſteriliſſimis quantumlibet mulieribus fœcunditatis donum impertiat.

2. Quæ cordis figuram referunt cordi cõferunt: *vt malum citrinum fructus anacardi, radices anthoræ, nardus, meliſſophyllon.*

3. Quæ pulmones repræſentant, pulmonibus, vt *pulmonaria* tam ſaxis, quam arboribus adhærens.

4. *Inglandes* habent integram ſignaturam capitis: cortex exterior, ſeu Herbaceum inuolucrum pericranii: qua de cauſſa Sal corticum ad vulnera pericranii ſingulare eſt.

Cortex interior durior ſeu ligneum putamen, Cranii.

Pellicula circumdans nucleum, meningum & membranarum cerebri.

Nucleus ipſius cerebri figurã habet; ideo etiam ad cerebrum conducit & venena hebetat: nam nucleus tritus ſi cũ quinta eſſentia vini humectatus vertici capitis imponatur, confortat cerebrum & caput potenter.

5. *Folliculus* floris *pœoniæ* concluſus adhuc habet ſignaturam & analogiam quandam capitis cum ſuturis, item venulis cerebrum circumdantibus: Flores mox excludendi aperiunt externam pelliculam cranium repræſentantem, & hanc viam, ſicut & ſemen poſtea exſiliendo fulminis inſtar epilepſiam ſeu ſyderatum morbum expellunt.

6. Lanugo malorum *Cydoniorum* refert aliquo modo capillos: ideo decoctum eius in reſtituendis capillis a lue venerea defluxis efficaciſſimum eſt.

7. *Folia Aſari* habẽt ſignaturã auriũ: ideo ex floribus eius conſerua paratur, q̃ comeſta auditũ & memoriam plurimum confortat.

8. Notandum hic *Cochleas* auriculis prolõgis ſignatas coqui in aqua & ſale, & deſpumari, poſt exſiccationẽ macerantur in oleo ſuccini: & deinde deſtillatio inſtituitur: promanans inde oleum mirificum eſt ad recuperandum auditum. Reptile eſt acutiſſimi ſenſus.

9. Gra-

9. Grana nigra *Herbæ Paris* ſeu *aconiti ſalutiferi* habent pupillæ ſignaturam: oleum inde chymice prolectum vel expreſſum ad oculorum affectus efficaciſſimum eſt medicamentum, a nonnullis anima oculorum vocatum.

10. *Mentaſtri aquatici* folium formam naſi refert: herba illa eſt, quæ folia anguſta hirſuta habet, flore e puniceo albicante. Extractum eius ſpecificum eſt in amiſſione odoratus. Plura exempla vide apud Crollium *in lib. de ſignaturis rerum internis*, & apud Querc. *in lib. de ſignaturis rerum externis.*

III.

Quodcunque habet ſignaturam morborum, illud ad eoſdem morbos tollendos facit.

1. *Lilii conuallii* flos habet guttæ ſignaturam, quia flos quaſi gutta pendet: ideo in apoplexia magnus eſt eius vſus.

2. Calculi ſignaturam habent *Cryſtallus, Silex, lapis Citrinus, Iudaicus, lyncis: Lyncis vrina* coit in lapidem: ideo eius vrina ad veſicæ ſtillicidia peroptima eſt) Calculus microcoſmi, qui Paracelſo ludus appellatur; *Saxifragiæ radices, Lithoſpermon, ſeu Milium ſolis, fructus Alkekengi, nuclei ceraſorum, Perſicorum, Meſpilorum: Cœpæ, fructus Roſeti rubei*: item plurimi alii in ſenticetis rubro colore in autumno ad maturitatem prouenientes. Itaque hæc omnia ad comminuendum calculum conducunt.

3. *Cancri* ſignaturam habet lunaria: cum qua Carrichter affirmat ſe omnes mammillarum cancros curaſſe.

4. *Conuolnulus* in ſegetibus proueniens inteſtina repræſentat: ideo decoctum eius eſt in Colica ſingulare.

5. *Reſiniferæ* omnes, quæ caudicis ſciſſuras ſuſtinent, ad cicatrices & vulnera certiſſimo experimento vtiliſſimæ.

5. *Acori aquatici* lutei radix in Maio effoſſa & collecta ſingulare amuletum contra dyſenteriam appenſum ad ventriculi regionem: Habet enim colorem & ſignaturam excrementorum.

7. *Medulla rubra*, quæ in lapicidinarum iuncturis reperitur & eruitur, (vulgus *iecur lapidum* vocat) ſignaturam dyſenteriæ habet: ac proinde in dyſentericis fluxibus magno iuuamine adhibetur.

8. *Semen Oxylapathi*, quod ſemper carneum colorem non plane rubrum habet: decoctum eius hauſtum eſſe aciſſimum eſt.

9. *Agaricum* & reliquæ arborum excreſcentiæ, quæ ſupra ramos & frondes contra naturę ordinem excreſcunt, humanorum artuum excreſcentibus partibus medentur.

10. *Fraga* habent ſignaturam lepræ: ideo illorum diſtillata aqua palliat rubicundam leproſorum faciem, ſi bibatur & lineantur maculæ: Quo nomine etiã Raimundus Lullius fragorum in ſpiritu vini maceratorum vſum

ſum in pallianda lepra plurimum commendat *in libr. de quinta eſſentia.* Item *Viperæ:* ideo illarum caro præparata leproſis cum cõmodo offertur.

11. *Salix* non fert ſemen, ſed virgula abſciſſa etiam fere emarcida ſola infixione in terrã creſcit: ideo balneum e decocto ſalicis præſtantiſſimum ad membra tabida.

12. Omnes *maculoſæ plantæ* maculas corporis noſtri abſtergunt.

13. *Carduus benedictus* cum ſuis punctionibus curam pleureſis indicat: vt & Carduus Mariæ.

14. *Archangelica*, ſeu *Vrtica alba* habet ſignaturam Panaritii, contuſa & impoſita cõfeſtim necat. Alia exempla, & longe plura vide itidem apud Crollium citato libro.

IV.

Quodcunque in macrocoſmo corpori alicui longam conſeruationem inducit, illud & microcoſmi diutinæ conſeruationi inſeruit.

Quidquid in mundo eſt, propter hominẽ exſiſtit. Vnde & ſi aliquid per naturã quandã nobilẽ diu conſeruatur, homo videat, vt iſtã naturam longæ eius conſeruationis proximam cauſſam proliciat, ſibi vniat, & ſe ea tanquam vero balſamo a putrefactione & morte

defendat. Sulphur intuere! Eo vinum, quod cum ſanguine noſtro maximam analogiam habet, a defectu præſeruatur! imo oleo eius lignea, funeſque, quorum vſus in aquis eſt frequentiſſimus, a putrefactione præmuniuntur. Recte ergo Paracelſus *lib. 3. de vita longa c. 7.* concludit, in ſulphure eſſe liquores balſami, qui neque viuum, neque mortuum quicquam putreſcere ſinunt, ſed corpus ita conſeruant, vt nulla, neque influentiæ, neque naturalis corruptio vel impreſſa in corpore deprehendi poſſit. Quare Quercetanus pharm. *reſt. p. 262.* a vero nihil alienum ait, vbi ſulphur rite præparatum verum Pulmonum Balſamum, verum Becchicum, verum Loch, ſanum & expertum, omnib. pulmonũ affectibus aptum & ſalutare appellat.

Huc refertur & hic Canon. *Quodcunque diu conſeruatur, diu conſeruat.* Quem ſic intellige: *Quodcunque ab innato balſamo diu conſeruatur, illud per eundem balſamum alia corpora diu conſeruat, ſi modo balſamus ille Philoſophice & naturæ corporum conſeruandorum conuenienter erutus fuerit.*

V.

Quodcunque ſe per inſitum balſamum ab omni elementari corruptione tuetur in macrocoſmo, idem & macrocoſmum ab omnibus morbis & præſeruabit, & liberabit per eundem balſamum. Hunc

Hunc Canonem, qui intellexerit, facile materiam medicinæ vniuerſalis indagabit, atque fundamentum, ex quo arcano ſuo omnium morborum curationem Philoſophi tribuant, certum atque immotum eſſe cognoſcet. Hoc ſuperaddo. Si nobilis iſta & incorruptibilis natura (Balſamum in Canone dictum intelligo) incorruptionem & diutinam conſeruationem operari debet, in radice noſtro corpori vniatur, neceſſe eſt: radicaliter enim oportet vt vniantur, quorum ex vnione perfecta virtutum communicatio prouenire debeat.

VI.

Quidquid e corpore aliquo extrudit naturam alienam, idem quoque e microcoſmo naturam alienam protrudit.

1. Cum *materia antimonii* (inquit Querc. ex Paracelſo *tetrad.p.396.*) Sit ſpoliatiua, & mundificatiua, hinc fit, vt corporis impuritatem non ſecus abſumat, quam aurum & argentum ab ipſo depurari videmus: Inprimis autem, præter opinionem, tollit id ipſum lepram. Item; Antimonium omnes morbos tollit, & vires amiſſas reſtaurat & renouat.

2. Veri Philoſophi pro meo iudicio recte forſan ex eo quandam panacæam, ſeu medicinæ vniuerſalem elicere ſciunt, quod conuenienter cum naturæ mercurialis conſerua-

tione argentum vivum ſuis nigris fuliginibus & venenatis fecibus per ſublimationem & eleuationem eximit. Tu vero hoc peruestiga, & perſcrutare. Quod ſi obtinueris, & ἐγχείρησιν ſimplicem adhibueris, inuenies rem milleſies auro pretioſiorem & omni re.

3. Quemadmodum alce poſterioris pedis dextra vngula ſe epilepſia exuit, dum eam auribus immittit, & ea ſe perfricat: ita etiam homines eandem vngulam auriculæ ſiniſtræ, ingruente paroxyſmo, immittunt: ſeq; hoc pacto a paroxyſmo liberant.

4. Quemadmodum ab ouo frigore congelato per impoſitionem in aquam frigidiſſimam ad tempus, frigus inſtar glaciei extrahitur, & ouum in integrum reſtituitur: ita etiam membra frigore vitiata ſanantur per impoſitionem frigidæ aquæ niualis. Ita frigus extrahit frigus.

VII.

Plantę quæ vel repræſentant ipſa animalia, vel animalium partes, valent ad propellendos morbos, qui ab iiſdem animalibus ſuboriri poſſunt.

Serpentina maior, quæ ſerpentem repræſentat; *Rhamnus*, aut *Spina alba*, in qua acutæ ſpinæ habent ſimilitudinem dentium ſerpentis, morſum ſerpentis perſanant. Sic *Orchidis* illa ſpecies: quam a floris ſimilitudine Neoterici eleganter μυώδην vocitarunt, apum ictibus

i&ibus confert *Pſyllii* ſemen, quod pulicem emētitur, fugat publices. Quæ caudam ſcorpii repræſentant, vt *Scorpiodis varia generani. Telepſium flo. Heliotropii*, & his ſimilia magnas virtutes ad Scorpionum plagas ſanandas obtinuerunt. *Ex Querc. lib. de ſignaturis rerum externis.*

VIII.

Animalium partes, quarum balſamus eſt valde fortis ad functionem debitam expediendam, vigorem inferunt ſimilibus hominibus, vt efficacius præſtent id, ad quod deſtinatæ ſunt.

1. *Priapus tauri* & *cerui* penis ἀτονίαν aufert & venerem ſuſcitat: Horum enim animalium natura luxurioſa.

2. Mammarum muliebrium fiſſuris medetur *inunctio glutinis* ex vberibus vaccinis præparati.

3. Cor hominis in Cardiaca & ſyncope corroborat eſſentia præparata de *cordis Cerui* oſſibus.

4. *Matricis Gallinæ* puluis in collum matricis iniectus, eiuſdem fluorē exſiccat, & ſterilitatem inde cauſſatam tollit, & conceptionem iuuat.

5. *Pulmo Vulpis* pulmoni prodeſt.

IX.

Omnis beſtia, quæ venenum tantum

in aliqua parte ſui corporis habet, in ſe continet balſamum, quo tuto contra venena vti licet.

Iſta enim beſtia in ſe habet naturam, qua à veneni ſui maligna qualitate ſe tuetur, Hac natura tanquam certiſſima antidoto, ſi potiri poteris, contra idem venenum te defendes. Vnde *cor viperarum* etiam ad ſolem exſiccatum & pulueriſatum veneno aduerſatur, illudque a corpore noſtro extrudit. Apum aculeos fixos mel ſanat. Homini a Scorpionibus icto remedio eſt oleum eorumdem, item cinis percuſſo loco impoſitus; vel etiam ex vino potus. Vbi tamen notabis; ex ea beſtia, quæ ſimul renouandi & reſtaurandi facultate pollet, potiſſimum balſamum contra quælibet venena eſſe eliciendum & propinandũ: Virus enim quando expellitur, vires noſtræ veneno debilitatæ reſtituendæ quoque & corroborandę ſunt, vt & contra venena perfecte muniamur, & diutius perſiſtamus. Qua de cauſſa ex viperis balſamum ſolent Philoſophi producere, quo tanquam vniuerſali antidoto contra quælibet venena vtamur: viperæ enim cum quotannis bis antiquas ſuas exuuias ætherei balſami aſſumtione deponant, virtute renouante & reſtaurante præditæ eſſe, recte a Philoſophis iudicantur: Quidquid enim ſe renouat balſamo aliquo, ilud, & aliam naturam eodem balſamo renouare quis dubitet?

X. Quod-

X.

Quodcunque Animal citra noxam ex venenatis corporibus alimentum quærit, in ſe habet balſamicam naturã, quæ contra venena potens eſt.

Hinc veri Philoſophi extractum Ciconiæ peſte correptis contra peſtem propinant: quia Ciconia venenatis vermibus veſcitur, eoſque ſine noxa concoquit.

VII. 3. Poſt hæc generationem, conſeruationem rerum, præcipue metallorum, vegetabilium, & animalium ponderato, vt non ſolum cauſſas generationis hominis, ſed etiam aliorum mineralium, quæ in homine naſcuntur, eique mutationem & corruptionem inferunt, naturam & generationem perueſtiges.

VIII. Generationem abſoluunt ſemen, innatus ſeminis balſamus, calor excitans, humor ſale armoniaco naturæ cõuenienti impręgnatus, matrix, perfectio.

IX. Metallorum conſeruationem abſoluunt balſamum innatum, & elemẽtum, cui metalla inſunt. Vegetabilium

C

vero & animalium conſeruationi præter innatum balſamum & elementum calor externus iuuans & nutrimentũ aliunde aſſumtum inſeruiunt.

x. Corruptionem rerum e ſuo ſemine productarum, & in ſuo genere perfectarum introducit omne illud, quod non eſt de ſubſtantiæ generatæ natura, & eſſentia: Diciturque vno verbo *impurum*. Vt vero quid hoc ſit, clarius percipias, ſpeciatim illud exponam. De metallis incipiam. Metalli generationem, qui perfecte expiſcari deſiderat, ante omnia ſciat, quo modo tinctura in metallo producatur: Tinctura enim nata Mercurius in metallum digeſtus & congelatus eſt: Vbi non ignorandum, Mercurium eſſe tincturæ matricem in humore ſuo ſulphur, quo digeratur, gerentem & ſibi ipſi adeo ſufficientẽ, vt ad generationem tincturæ non opus habeat extraneo aliquo nutrimento. Hic tñ Mercur. in locis mineralib. extranea combuſtibili natura, quam quidam Philoſophi impurũ ſulphur appellant, infici ſolet: quæ niſi Mercurio ſe immiſceret, Mercurius omnis e ſe per inſitum ſuum ſulphur tincturam auream vel argenteam tanquam florem, in ſe tamen protruderet, vt ita omnia metalla purũ aurũ & argentum eſſent, nec quicquam metallo-

rum

rum impuritatibus & imperfectione laboraret. Vnde impura hac natura ſuperante, metalla inferiora, ferrum, æs, ſtannum, plũbum generãtur. Quæ propter eiuſmodi accidentariam impuritatem in igne non fixa permanent, ſed fugiunt & corrumpuntur, nec non ſæpe rubigine conſumuntur. Natura vero, quæ ſemper ſui conſeruationem appetit, continuo eo laborat, & annititur, vt e Mercurio & metallis imperfectis beneficio ſulphuris puri ipſis inſiti (quod nõ ſublatum, ſed ſaltem ſuppreſſum eſt) impuritates quaſuis propellat & egerat. Dum vero è Mercurio innatum ſulphur ſcorias & ſuperfluitates impuras proiicit, ſulphur, quia ſibi ſufficiens eſt, alterius extranei immixti auxilio non vtitur, nec in ſe admittit, quod ſuæ naturæ contrariatur, ſed paulatim ſubſidio motus cœleſtis ſe recolligens & confortans, id, quod nõ eſt Mercurius, foras protrudit & eliminat, nõ aliter, ac balſamus bonis ad cõſeruationẽ ſuo corpori conciliandã ex cibo & potu id, quod hominis naturæ cõueniens eſt, elicit, ſibique aſſimilat: reliquum vero quod virtute nutriẽdi deſtituitur, excernit.

Similia Vegetabilia & animalia ſui innati balſami beneficio ex aliis rebus nutrimentum ſibi exſugunt & ſeparant id, quod ad nutritionem nihil facit. Quod ſi vero contingit, vt corpora propter balſami debilitatem ſeparationem alienæ ſubſtantiæ perfe-

cte facere nequeant, eamque igitur cum nutrimento ſibi inferant, corruptio quædam neceſſario ſequitur. Profundius contemplemus vegetabilia. Alimentum ſuum ex matrice, cui infixa ſunt, hauriunt: Matrix vero cum impuritatibus abunde ſcateat, impuritates ſe cum nutrimento ad radices plantarum aduniunt, vbi vel foris relinquuntur, vel ſi ſubtiles fuerint, cum nutrimento ſimul in ſubſtantiam vegetabilium ingrediuntur: Vnde radicum quarundam corroſio & putrefactio præmatura ſæpe oritur: fit & inde quoque ex frumenti grano lolium. Quando vero ex rebus alimentariis impurum a balſamo naturæ vegetabilis ſeparatur, foriſque relinquitur, illud fit ſub mucilaginoſa & tartarea aliqua ſpecie, e qua putrefacta vermes, formicæ, terræ pulices, & alia inutilia pondera naſcuntur, quæ fœcunditatem terræ exenterant & tollunt, vt non immerito homines querantur, hiſce temporibus agrorum & vinearum quarundam, etiam probe ſtercoratarum, prouentus prioribus prouentibus non reſpondere: Vnde fit, vt hic Guenburgi vineæ aliquot, quæ antecedentibus temporibus, etiam noſtrorum hominum memoria, fœcundiſſima fuere, iam euertantur, atque in agros, hortoſque, ſpe maioris vtilitatis commutentur. Si hoc vegetabilibus accidit, quid putas fieri in animalibus, quæ vegetabilibus veſcun-

veſcuntur? Siquidem in hiſce ſunt ſeparationum vaſa & inſtrumenta longe plura. Quo vero plura ſunt ſeparationum vaſa in aliquo corpore, eo plus periculi eſt, ne facultas coquens & digerens propter alienarum rerum cum nutrimento ſe inſinuantium admixtionem deficiat, atque ex defectu radicem corruptionis corpori induci permittat. Qua de cauſſa non eſt mirum, quod in homine tot morborum genera exſiſtant ex ſola illa impura colluuie, quæ cum rebus alimentariis in corpus noſtrum ingreditur, & propter balſami imbecillitatem non bene ſeparatur & excernitur. Exempli gratia: Si quis mucilaginoſo aliquo cibo nimium ſe exſaturat, ſtomachumque vltra æquum & conſuetudinem opplet, tum facile ſtomachi balſamus, quo cibus in chylum vertitur, & craſsiores impuritates ſeparãtur, ſuæ functionis diminutionem pati poteſt, vt aliquid de mucilaginoſa illa materia in ventriculo relinquat, quod nutriendi corporis ergo ad hepar, aliove mittat, nec in duodenum detrudat. Quæ tartarea materia, quo diutius ſtomachum occupat, eo pcius eum afficit, atque a ſuo naturali ſtatu in non naturalem deducit. Vnde & alii cibi, qui poſt immittũtur, debite haud præparantur? quo fit vt ad ad reliqua membra inde quoque aliquid alieni deueniat, & e ſimul tartareis ſubſtantiis ſubtilioribus ſimul affligantur: Quæq; ſub-

tiliores fuerint, & ad mẽbrum aliquod adhæſerint, eo difficilius ſolui, abigi & extrudi poterunt, atque ita magis magiſque corpus excruciabunt.

XI. Ad generationem, conſeruationẽ & corruptionem non parum momẽti cõferunt mineralia minora, meteora, aſtra per influentias & excremẽta ſua.

XII. Minora quidem mineralia, quando in naturam vel meteororum vel lapidum abeunt.

Minora mineralia appello *Sal, ſulphur, vitriolum, alumen, antimonium, biſmuthum ſal petræ, arſenicum, &c.*

XIII. Meteora fiunt ex exhalationibus tam ſiccis, quam humidis, tam mercurialibus, quam ſulphureis, tam dulcibus, quam acrib. & amaris: vnde pro veritate exhalationum varia meteororum genera proueniunt.

Quomodo fiant, diligenter tibi perquirendum: in microcoſmo enim ſimiles exhalationes tum mites, tũ impetuoſæ; cum Mercuriales, tum ſulphureæ, quarũ quædam ſanitatem promoueãt, quædam morbos moueant, reperiuntur: de huiuſmodi collatione lege *tetrad. Querc. cap. 5. & 6.*

XIV. *Influentias aſtrorum* appello id, quod aſtra in hæc inferiora agunt.

Quod ſi ſecundum ordinarium eorum curſum peragitur, mirabili harmonia cũ operibus inferiorum concordat, ita vt ea non promouere non poſſit: ſin vero aliquid ἀταξίας contrahit, tum & hæc inferiora magnã ἀταξίαν inde ſibi conciliant. Similiter vbi aſtra microcoſmi ἀταξία mutua diſturbãtur, vnumque cum altero ad conſeruationem totius haud conſpirat, facile euenire poteſt: vt totius humani corporis machina corruat. Aſtra hominis quænã ſint, cum eorum influentiis alibi ξὺν Θεῷ fuſe & clare explicabimus.

XV. Excrementa aſtrorum, vt ſæpe peſtem & pleureſin per annexa arſenicalia venena aduehunt: ita quoque ſæpe aſtrorum hominis excrementa venenis arſenicalibus referta ſunt, vt homo inde vel ſubitanea morte, vel grauiſſimo aliquo morbo corripiatur.

CAPVT V.

De Alchymia.

NOn hic intelligo Alchymiam iſtã Sophiſtarũ, qui vndecunq; quodlibet corradunt, in illud, quouis modo ſine iudicio operantur, & naturas rerum ſine ratione perueſtigare pro more habent.

II. Ac proinde nihil loquor de arte impoſtorum, qui lignorũ, carbonum, candelarum, fimi, aliarumque rerum inconuenientium igne, eum lapidem, qui ex imperfectis metallis purum putum aurũ faciat, quærunt, diuitiis mũdi corrodendis incumbunt, & medicinæ ſcopum conſequi non intendũt. Hi inquam, quia cum ſuo & aliorum, quorum animos occupauere, damno ſuam artem iure ad inferos delegandã tractãt, ſunt digni, qui vrbibus & omni hominum cõuerſatione expellantur. De hiſce, horumq; Pſeudochimia Augurellus Magnus ille Poeta & Philoſ. in doctiſſim. ſũa Chryſopæia ita canit.

Nec miſeram magis affirmes veraciter illam
Artem aliã, quã quæ externis Halchimia vobis.
Dicitur, obſcuriſq; tegens ambagibus errat
Auia per: miſeroſq; trahit per iniqua ſequentes,
Ac tandem eiectos in cæca barathra relinquit,
Ut videas quemcunq; bonum ſua prædia ciuem
Vendentem, patriaſq; domos, nubeſq; repoſtas
Fornaces inter verſari, ac follibus aurum
Captare, in tenuemq; (nefas) conuertere fumũ.
Rem, dubias dum quærit opes inſanus, auitam
Protrahit: illacrymant nati, fit ſordidus ipſe
In tantum ludusq; patens & fabula vulgi.

III. Sed

111. Sed intelligo Alchymiam, qua (*a*) ſecundum naturæ viam, purum ab impuro ſeparamus, & corpus in ſua principia hypoſtatica partimur. 1. Vt (*b*) quid ſint iſta principia, bene diſcamus, 2. vires rerum (*c*) exploremus, 3. (*d*) in quibus principiis vires corporum primo lateant, videamus, 4. (*e*) naturalem Alchymiam microcoſmi inde intelligamus, & 5. (f) habeamus purum, quod ad reſtituendam ſanitatem ægro propinemus.

(*a*) Ita ait Paracelſ. paragrani tract. 3. de Alchymia p. 219. So wiſſet hierin/ daß dieſer Grund (Alchymiam intelligit) auß der Natur gehen muß/vnd nicht auß den Spintieſierenden Köpffen. (*b*) Chymico artificio principia hypoſtatica à philoſophis primum inuenta fuere: Eadem ergo via ea magis magiſque ab intellectu percipiuntur. Quemadmodum artes, quas vſus peperit, vſus idem illuſtrat. (*c*) Vires enim rerum per Alchymiã innoteſcunt: id quod Paracelſus iam dicto tractatu perſpicue his docet verbis. So nun ſo viel ligt in der Alchymey/dieſelbige hie in der Artzney ſo wohl zu erkennen iſt die Vrſach der groſſen verborgenen Tugend/ ſo in den Dingen leigt der Natur/ die niemand offenbar ſind/es macht ſie dann die Alchymey offenbar/

vnd brings herfür: Sonſt iſt es gleich / als ei-
ner der im Winter einen Baum ſiehet / vnnd
kennet jhn aber nicht / vnnd weiß nicht was in
jhm iſt / ſo lang bis der Sommer kompt vnnd
eröffnet einander nach / jtzt die Sprößlein / jtzt
das Geblüht / jtzt die Frücht / vnd was dann in
jhm iſt. Alſo liegt nun die Tugend in den Din-
gen verborgen dem Menſchen / vnnd allein es
ſey dann / daß der Menſch durch den Alchymi-
ſten dieſelbige innen werde / wie durch den Sõ-
mer: Sõſt iſt es jm vnmüglich. Quemadmo-
dum neſcire potes, quid intus in pomo cõti-
neatur, niſi pomũ aperueris & diſſecueris: ita
quoq; niſi per alchymiã ſiue naturalem, ſiuę
artificialem corpora diſſoluas, virtutes eorũ
medicinales non exquires. Exemplo fit res
manifeſtior. Sal armoniacum naturæ acidũ,
in quocunque corpore reperiatur & elicia-
tur, eſſe virtutis diſſoluentis & coagulantis
ſimul ſola Alchymia docuit: Diſſoluit cor-
pora, congelat Spiritus, imo quod omnem
ſuperet prorſus admirationem, in media et-
iam flamma. Sic *Spiritus vitrioli* aut *Sulphu-
ris* aut nitri acidus bene præparatus atque ab
omni terreſtreitate ſeparatus vel in vola ma
nus diſſoluit corallia atque perlas. Eadem
plane diſſoluentia parantur ex ſuccis limo-
num, granatorum, berberis, ribes debite &
conuenienter depuratis a fęcibus ſuis terre-
ſtribus, quæ facultatem diſſoluentem non
parum impedire ſolent. Non minus idem
præ-

præſtat acetum optimum deſtillatum: in hiſce enim duobus ſunt aciditates armoniacæ ſeu vitriolatæ, ac proinde vim habēt diſſoluendi. Contra Spiritus vitrioli acidus mercurium vulgi, quem nulla frigiditas exterior, nullũ gelu elementare, quantũ quantũ tandem fuerit, congelare, aut fixum reddere poteſt, congelat, quando cum ſolo vitriolo mediocriter calcinato ſublimatur. Spiritum vitrioli acidum eſſe illud, quod Mercurium coagulauerat, patet ex ſublimati reſolutione: quæ fit. quando ſublimatus Mercurius aquæ iniicitur (quam acidam omnino reddit) atque aqua deinceps exhalatur, tum reſtabit tantum liquor acidus, veruſque vitrioli Spiritus. Et vt conſtet hanc coagulandi poteſtatem ſalis armoniaci acidi naturæ non tantum eſſe in mercurium (in quem hanc vim exercere poteſt) ſed & in Spiritus nitroſulphureos corporis noſtri, id hac manifeſta & veriſſima demonſtratione ex Quercetani libro *de ſignaturis rerum internis* depromta docebo. Accipe *vrinam pueri*, aut *adoleſcentis* vinum bibentis bonam quantitatem: depuretur ſecundum artem: cui adde *vitrioli Romani aut Hungariæ*; (his enim melior fiet operatio) *duplum*: pone ad digeſtionem in B.M. tepido per ſex vel octo dies in vno aut diſtinctis alembicis vitreis: Nã multa opus eſt materia. Hac digeſtione peracta augebis ignem

balnei, vt bulliat aqua: Mox impoſito capitello, adhibitoque recipiente deſtillabis, aquam. Ac ea quidem, quæ primo exibit, erit inſignis aqua opthalmica: Secunda paulo acrior ad dolorespodagricos, tepide cum linteolis applicata cõfert. Perge ita vrgẽdo calorẽ balnei aut ẽt per cineres calidos, donec materia in alembici fundo reſtet inſtar mellis: quam poſtea infundes in vas ferreum, & adhibito igne, ſpatula ferrea continuo agitabis, ne adhęreat: hocque eo vſq; continuabis, donec omnis liquor vi ignis exhalauit, & reſideat ſolũ Sal vitrioli atque vrinæ in fundo ſiccum, & in maſſa quadam. Hanc pulueriſatam in cornutam bene lutatam immittes adhibito amplo recipiente optime obſignato, ne Spiritus exhalare poſſint. Admoue ignem vehementem, quali opus eſt ad parã-dam aquam fortẽ aut Spiritum vitrioli: Sed tamen ita moderandus eſt ignis per gradus, donec ad ſummum perueniat, vti ars poſtulat. Et videbis tandem recipientem impleri ſpiritibus albidis vndique, qui in ſummo aliquo calore tanquã in nubibus aeris in glacies quaqua verſum per recipientis capacitatem dependentes congelabuntur. Haud ſecus ſane ac præ ingenti frigiditate hyemis & aeris nubes atque vapores in niuem glacialem, ſeu ſquammulas congelatas arboribus adhæreſcentes conſpicimus. Ita Spiritus hi ſalis (ignis, non frigoris vehementia) cõ-

creſcunt

creſcunt in glaciales illas particulas, & quaſi in media etiam flamma. Sic duo hi prędictorum ſalium vulgo philoſophis pro calidiſſimis habitorum in glaciem congelantur per virtutem coagulatiuam ſalis armoniaci acidi naturæ, quem in ſe continēt. Hæc glacies adſeruari poteſt in modum ſalis nitri, de qua ſi ſcrupulum vnum aut dimidium exhibeas in iuſculo, vino aut liquore conuenienti, ingēs erit remedium ad omnes obſtructiones hepatis, atque lienis, prouocat vrinas, & eſt ſpecificum remedium ad diſſolutionem calculi. Eadem glacies redacta in aquam (nam conuertitur facile in humido) inſigne atque præcipuum eſt remedium ad inflammationes atque gangręnas, quas ſubito exſtinguit. Ex hac tam pulcra atque nobili experientia omnis verus philoſophus ac medicus argumentum eliciet vlterius philoſophandi atque inueſtigandi, quam ſolet vulgus: ſicque certius diſquirere poterit de cauſſis coagulationis calculorum, qui ex iiſdem ſalibus aut tartarea materia in diuerſis noſtri corporis partibus procreantur. Idem ſagacius inquiret in plures alios morbos qui fiunt ex coagulatione prædictorum ſpirituum acidorum aut vitriolatorum, vel ex euaporationibus aliorum ſaliū acerrimorum, a quibus inflammationes & dolores podagrici effloreſcunt, atque tandem tot hi ex virtute interna condenſantium prædictorum ſpiri-

tuum. Ex his quoque facilius patebit remedium mitigandi atque artificium diſſoluendi eiuſmodi calculoſa, ſi attendamus & conſideremus diligenter, in quo latitet virtus illa acris atque diſſoluens; in quo item proprietas coagulatiua dictorũ Spirituum. Eadem cõtemplatio occaſionem ſubminiſtrabit inquirendi in diuerſa meteora, quæ fiunt in microcoſmo; homine inquam, ex continuis illis vaporibus, atque exhalationibus; quæ ex inferiori ventre (quem merito cum terra comparaueris) in aerem, hoc eſt, ſuperiorem corporis noſtri regionem, cerebrum inquam, ſubleuantur. Ita patebit, meteora ſolis vaporibus mercurialibus in nubes a cerebri frigiditate condenſatis, nec digeri aut diſſipari ab eo potẽtibus, modo pluuiæ moderatæ & ſimplicis ſpecie, modo in modum denſiſſimarum nubium aut cataractarũ deſcendere: vnde catarrhi mites aut violenti; quos ſuffocatiuos nuncupant, quod materia vno quaſi quodã impetu in partes vitales procumbat. Denique ex iiſdem contemplationibus hauries veram originem ventorum, grandium, niuium, a quibus tinnitus aurium, paralyſeis, apoplexiæ & ſimiles morbi a vaporibus mercurialibus condẽſatis excitãtur. Quorum ſane morborum cauſſa nõ tantum, quod vulgus facit, ad frigiditatem referenda: ſed etiam reſpiciendum ad aciditatem hanc ſalis vitriolati, quæ vaporibus illis per

lis permixta eoſdem repente & quaſi de improuiſo coagulare atque cōglaciare poteſt. Vnde Apoplexiæ & eiuſmodi morbi producuntur: Nam vel exemplo e corpore noſtro expromto, hoc eſt, vrinæ, facile patet, qualis iſtis humorib. mercurialibus acido ſale permixtis inſit vis coagulandi.

(*d*) Exempli gratia. *Cinnamomum* & aperiendi & adſtringendi facultatem habet. Ex reſolutione in ſulphurea & tenui eius ſubſtantia vim aperiendi: vim vero adſtringendi, poſtqūam e fæcibus ſulphuream naturam ſeparaſti, in Sale eius aluminoſo deprehendes. Opium habet vim purgandi & ſtupefaciendi: vis eius purgandi eſt in ipſius Sale amaro: vis narcotica in ſulphure fœtido.

(*e*) Exemplum adducam pulcerrimum nempe *vini*, cuius artificialis & philoſophica anatomia naturalem noſtri cibi ſanguiniſque anatomiam ſplendide illuſtrat: idque faciam verbis Quercetani doctiſſimi, cum hic adeo docte & perſpicue ſanguinem ſub vino diſſecuerit; vt clarius ego non poſſim. In hunc vero modum *lib. de ſignaturis rerum internis p. 121. & ſeqq.* ſcribit.

Quando vinum paratur, vuæ primū torculari exprimuntur, pelliculæ & acini ſeparantur, abiiciunturque. Mox ſordibus ac recrementis inutilibus, partim hominum

induſtria, partim ab ipſius vini natura reiectis: vinum in cados infunditur, atque dolia: In his digeſtione facta atque ebullitione ſimul etiam fæculentas illas, craſſioreſque ſuperfluitates ſuapte vi ſeparat, atque eiicit. Quo facto, vinum iam fere factum eſt, & potui aptum atque nutritioni. Prima illa vini artificioſa præparatio (quæ vinaceorum ſeparatione & expreſſione fit) nobis repræſentat quodammodo præparationem frumenti, in qua, furfure & palea ſeparatis, reliquum in farinam conteritur, vt nutritioni magis fiat idoneum: Ita in ore noſtro prima fit ſeparatio carnium ab oſſibus, & taliũ eiuſmodi. Expreſſio autem fit ore atque dentibus: mox maſticatione rite peracta, cibus in ventriculum deuoluitur. Hæc eſt prima nutrimenti noſtri præparatio analoga cum prima illa vini atque frumenti: Reſpondetq; id, quod ſtomacho committitur, ei vino, quod in dolia primum infunditur, & farinæ iam factæ. Deinceps ergo in ſtomacho altera fit naturæ operatio: illud enim, quod concipit ſtomachus, concoquit, digerit, hoc eſt; aut aliud quoduis genus potulenti ex melle, fructibus, hordeo, & aqua, cui varia incoxerint, parari. Stomachus itaq; dolium illud naturæ eſt, in quo non tantum ei demandata materia coquitur atque digeritur; ſed ibi ea quoque ſeparantur fæces tartareæ, & quicquid in eo eſt excrementitii per du-

ctus a

ctus à natura ad id deſtinatos. Tandem multa purificatione peracta, ſanguis fit depuratus, rubens fons & origo Spirituum vitæ noſtræ: haud ſecus ac vinum rite purificatum cæteris fere, quæ nutritioni ac reſtaurationi vitæ noſtræ deſeruiunt, præfertur. Sed pergamus. Ex hoc vino arte & vel leuiſſimi caloris interuentu per vaſa circulatoria, vt vocant, extrahitur ignis naturæ, quem comitatur humidum radicale: nempe aqua vitæ, ignea prorſus atque ætherea, ac vere eſſentia quinta, tota ſpiritualis & naturæ fere incorruptibilis. Simili prorſus ratione beneficio ignis naturæ & per circulationem, quæ calore cordis atque hepatis fit, elicitur ac generatur in nobis ignis ille viuificus, ſtipatus atque fotus proprio ſuo humore vnctuoſo & radicali, qui eſt aqua vitæ, ac verum & viuificum illud nectar, quinta eſſentia, & ſpiritus æthereus, fere incorruptibilis, fautor atq; conſeruator vitæ noſtræ. Illud etiam in prædicti vini operatione notandum hic obiter occurrit, quodq; animaduerſione quidem & admiratione dignũ eſt, nempe quod duo tresue ſolum carbones accenſi ſub ampliſſimo vaſe ſeu cacabo impoſiti (quod viginti vel plures vini heminas contineat) calefaciunt ipſum vinum, viniq; ſpiritum ad diſtillandum promouent: cum ex illo minimo calore vel multo minor aquæ portio vix tepefieri queat. Sed quod admirandum magis

aut notatu dignum eſt, dum ille vini ſpiritus per canales aut fiſtulas æneas oblongas & retortas, ad hancq; diſtillationem aptas tranſcendit, eas, vt & ingens aquæ frigidæ plenum dolium, & ab igne ſatis remotum (in quo prædictæ fiſtulæ madent) adeo calefacit, vt vix quis manũ admouere queat. Quod ſane ingenti calori, quem vini ſpiritus per prædictas fiſtulas tranſiens aquæ frigidæ impertit, tribuendum eſt. Nam dum totus extillarit vini ſpiritus, etiamſi ſub prædictum vas ignem multo vehementiorem adhibeas; calorem tamen illius aquæ in dolio contentæ ſenſim extingui & refrigerari percipies. Quod ſane nobis in mentem inculcare debet, quænam ſit caloris noſtri emphyti ſiue ſymphyti proxuma cauſa & origo: quippe hic calor ex continua & perenni circulatione ſpiritus viuifici ſanguinis noſtri in nobis excitatur. Hæc aqua vitæ, dum tota tandem à calore quodam interno ſeu externo & violento deſtillata aut temporis progreſſu penitus abſumpta eſt, iam procul dubio caloris illius viuifici extinctio tandem apparet, morsque frigida ſubſequitur. Sed vt ad rem redeamus, poſt extractionem veræ & genuinæ aquæ vitæ ſeu ſpiritus vini (qui eſt tota illa puritas trium principiorum hypoſtaticorum) cuius liquor Mercurium, flamma (quam prompte concipit) naturam ſulphuream, acumẽ vero & vis eximiæ guſtum

feriens

feriens ſpiritũ ſalis armoniaci repræſentant: magna reſtat copia phlegmatis, ſeu liquoris mercurialis, qui continet quidem adhuc aliquid ſpiritus vini. At quod reliquum eſt, nihil eſt aliud, quã aqua inutilis, quæ mox vapeſcat atq; corrumpatur. Simili quoq; ratione poſt extractionẽ aquæ vitæ ac vere ſpiritualis ex ſanguine noſtro reſiduus manet in corpore humidus & humectans ille liquor, quem partim alimentoſum, partim excrementoſum dicimus. Reſtant vltimo præter prędicta feces ſeu reſidẽtiæ tartareæ & nitroſulphureæ, quæ in ſe multas fœtidas impuritates, vt & magnã ſalis copiam cõtinent. Impuritates oculis & tetri fœtores naribus ſatis ſuperq; ſe produnt, dum diuerſa ex his olea vehemẽti igne extillantur. At ex fecibus calcinatis ſal elicitur, idemq; fixum cũ proprio phlegmate. Sal iſtud volatile efficitur cũ ſale armoniaco volatili in ꝓprio ſpiritu ſeu aqua vitæ cõtento. Similiter & in ſanguine præter ſpiritũ illum vitæ & liquorem mercurialem (quæ duo reuera ſeparari ab ipſo ſanguine & ad oculum oſtendi poſt digeſtiones conuenientes in caloris B. M. qui ſit analogus calori naturæ, vt melius & facilius conſtet, quomodo idem calor, eademque natura in nobis eaſdem faciat operationes & ſeparationes) præter illa duo, inquam quædam conſiſtentia mellis liquidi inſtar reſidebit in fundo: in qua mellita conſiſtentia

multas impuritates inuenies, quas oculis & naribus percipies, ſi ad ignem cinerum calori febrili analogum materia prædicta exſiccetur: quippe nidorulentus ac nitroſulphureus ille fœtor manifeſte in nobis cauſat meteora ignita, tam in ſuperiori, quam inferiori corporis parte, aliaque innumera ſymptomata parit. Sic ignis quoque vi (haud ſecus ac ex vino) ita ex fecibus & tartaro ſanguinis ſeparari poſſunt ſulphura atque olea picis in modum craſſa atque tenacia; adhæc tanto fœtore abominanda, vt ne præſens quidem præ abominando illo odore ſubſiſtere queas: ex quibus multa ſymptomata in corpore noſtro ſuboriri poſſe quilibet facile colligere poteſt. Quo peracto, reſtabunt cineres, ex quibus elicitur ſal, quod virtute ſalis armoniaci naturæ effici poteſt volatile, atque fieri id, quod Lullius appellat lanariam maiorem ad imitationem operis vegetabilis. Admirandum prorſus eſt hoc opus, ex quo fit vera mumia, medicina vniuerſalis, verusque balſamus naturæ conſeruans atq; reſtaurans. Atque hæc eſt vera & vitalis anatomia ſanguinis, quem non temere, ſed vere & manifeſta demonſtratione & quaſi ad oculum, ipſaque adeo autopſia innitenti oſtendimus magnam habere cum vino analogiam: cum verus philoſophus æque ex vino atque ex alio (licet alterum maius artificium requirat) norit ſeparare aquas vitæ pe-

nitus

nitus ſpirituales, quæ impetentia dicuntur: præterea liquores mercuriales, tam vtiles quam noxios, quæ humectantia: denique halitus & fuliginoſas exhalationes, quæ effluentia appellantur. Quod ſi igitur in vino, quo indies vtimur ad nutritionem corporis, eoque puro & claro poſt ſeparationem ſpiritus eius videamus tot res heterogeneas, tamque impuras, quanto, quæſo, plures ſolidioresque impuritates deprehendemus in tartaro vinorum doliis, atque cadis adhæreſcente, atque ex fecibus & reſidentia vini eiuſdem? Qui eximiam illam tartari nigredinem (quæ in calcinatione manifeſtatur) ſeparationemque ſpiritus eius, atque olei rubri, nigri & fœtidi, quæ per diſtillationem fit, norunt atq; intelligũt, hi luculenter ſatis teſtari, fidemque facere poterunt, quantus fœtor inſit in ipſius ſulphure: quanta item ſit acrimonia eiuſdem met tartari propter ſal, quod ex ipſo extrahitur: atque oleum, quod fit ex reſolutione eiuſdẽ ſalis tartari. At hercle in eiuſdem vini fecibus, præter iam dicta, longe impuriora, fœtidiora, ſordidioraque deprehenduntur, vt norunt plus ſatis illi, qui propter calcinationem earum, vt efficiant cineres, quos vocant clauellatos, extra vrbes in campos atq; loca remota concedere coguntur, propter ingentem earum infectionem atque fœtorem, quo & ipſa loca vicina infici ſolent. Quid igitur mirum, vt oſſẽſum

eſt ſuperius, ſi in ſanguine quoque noſtro poſt ſeparationem veri ſpiritus reperiantur tot res hetærogeneæ, tot impuritates tartareæ fœtidæ, atque ſulphureæ? quin, inquam, eo etiam magis plures ſordes inſint, atque fœtores in pluribus heterogenei chyli partibus, ex quibus primum ortum compoſitionis ſuæ ſanguis ipſe traxerit? Tartarus ille eſt ſanguinis, qui vaſis viſcerum adhęreſcit. Iam vero fæces chyli nihil aliud ſunt, quam tot tantaque diuerſi generis excrementa ipſius alimẽti in diuerſi corporis partibus exiſtentis. Atq; cum à natura omnino digeri, euinci, expellique nitroſulphureæ illæ & tartareæ impuritates non poſſint, viſcera offerciunt, vnde grauiſſimorum morborum ſeminarium, atque prouentus, vt vel hinc ſi libere fateri velimus, quod res eſt, cum magno Hippocrate dicere cogamur, morbos & radices & ſemina in corporibus habere. Quod ex prædicta vini & ſanguinis analogia euidentiſſime patet: Nam apparentibus nititur fundamentis, & ad ſenſum patentibus ſignis ceu terminis quibuſdam, neutiquam vero imaginatione quadam dubia effectis. Et quemadmodum videmus vernis temporibus, quãdo natura ſuos flores protrudit vini feces ipſi vino permiſceri, iſtud conturbare & ſæpe corrumpere: Quemadmodum in calore eximio ſolis aut æſtatis æſtu pars calidior ſulphurea eiuſdem vini, nempe ſpiri-

tus

tus exhalare poteſt & ſolet, vnde eiuſdem vini corruptio ſequitur. Ita quoque iiſdem plane temporibus feces & tartarea illa colluuies ſanguini noſtro permixta eundem peruertit, atque corrumpit. Vnde morborum occaſio atque prouentus multiplex. Nam & ab externo & ab interno calore diſſipato ſpiritu ſanguinis, atque ſeparato neceſſe eſt illum corrumpi: Cui ſane corruptioni & ab eiuſmodi quidem cauſis obortæ omnino plurimorum quoque morborum cauſa accepta ferenda eſt potius, quam nudis & ſimplicibus illis qualitatibus.

(*f*) Quod ſi res alimentaria fecibus ſuis crudioribus ante aſſumptionem non exuitur, balſamus noſter ſæpe conflictatur & debilitatur, propterea, quia feces illæ crudiores corpori adhæreſcentes varia morborum genera procreare ſolent. Exemplo tibi ſit muſtum vini, recens cereuiſia, &c. Quantum noceant hæc, vel vulgo notum eſt. Quanto magis medicamenta ſuis impuritatibus prius eximantur neceſſe fuerit quam propinentur. Vnde Hippocrates: In præparatione medicamentorum inutilia ab vtilibus ſeparentur; vtilia & efficacia, quantum fieri poteſt, pura & emendata dentur. Paracelſus id ipſum Paragrani *tract. 3. de Alchymia p. 224.* his explicat verbis: Nun iſt nichts anders einem Artzt zu betrachten/denn daß das Gifft hinweg genommen werde: das muß durch

durch ſcheiden geſchehen. Zu gleicher Weiß als ein Schlang die iſt gifftig vnd iſt gut zu eſſen: Nimpſtu jhr das Gifft hinweg/ſo mags du ſie ohn Schaden eſſen: Alſo auch mit andern Dingen allen zu verſtehen iſt/da ein ſolche Scheidung da ſein muß: Vnd dieweil dieſelbige nicht da iſt/dieweil magſtu deiner Wirckung kein Vertröſtung haben: Es ſey denn Sach/daß dir die Natur das Ampt vertrete auß glücklichem Himmel: Deiner Kunſt halber were es alles vmbſonſt. Nun muß das einmal ein rechter Grund ſeyn/der das Gifft hinweg nimpt: Als dann durch die Alchymey geſchicht. Cum igitur Alchymiæ opera venenum & impurum à ſalubri & puro in præparatione medicamentorum ſeparare teneamur, Hermetici Philoſophi iure correctiones vulgares, quæ, veneno manente & non ſeparato admixtione aliarum rerum fiunt, improbant. Verbi gratia: Veri philoſophi correctiones opii veteribus vſitatas & per ingredientia adeo calefacientia factas reficiunt, atque ſulphur ipſius fœtidum & indigeſtum facili artificio, priuſquam illud ad confectionem laudani admittant, ſeparant hoc modo. Accipe *opii ℥ iij. vel iiij.* aut, quantum voles habita ratione quantitatis laudani cōficiendi. Hoc opium cultro quodam in exigua incidatur fruſtula, quæ appoſite in patina, aut orbe, quadraue quadam collocantur, ne ſe inuicem attingant, vt melius

lius in ea operari queat calor moderatus, cuius ope & virtute ſenſim exhalabit enarratum ſulphur vaporoſum, fœtidum & narcoticum: fiat autem hæc operatio ſub camino quodam! vbi cauendum, ne fumus forte naribus exceptus damnum infera; hicq; ignis eo vſque continuabitur, donec opium omnem fere amittat odorem, & omnino ſiccum reddatur inſtar aloes, & facile in puluerem redigi poſſit. Hæc eſt methodus veræ præparationis opii, quod vix tunc temporis concipiet flammam.

IV. Hanc Alchymiam qui tractat 1. ante omnia Dei auxilium aſſidue implorat: 2. Præceptori ſuo candorem & ſummam fidelitatem probat. 3. Diligenti ſtudio libros verorum philoſophorum, non ſophiſtarum, legit. 4. Eos ad naturam reuocat. 5. Ex iis experimenta ad rem ſuam facientia ſibi eligit imitanda. 6. Varietatem ignium, pro qua ſolutiones rerum variant, ponderat, & magna cum diligentia ſcrutatur. 7. Inter animalia, vegetabilia & mineralia exacte diſcernit. 8. Vnum genus cum altero non confundit. 9. Corroſiuis, quæ plane aliena ſunt, & à natura corporis ſoluendi & à natura hominis non vti-

tur, niſi à ſoluto corpore philoſophice ea iterum ſeparare ſciat. 10. non eſt auarus, vt auro inhiet, ſed in nominis diuini gloriam & proximi vtilitatem nullis parcit ſumptibus, vt medicinam ſolam inueniat. 11. non eſt preceps in operando, ſed patiens; prout corporis, in quo occupatur, natura poſtulat. & 12. diligenter operatur, eaq; quæ anatomia oſtendit, attente & ſtudioſe obſeruat.

ADMONITIO.

Si vis in anatomia Hermetica proficere, ante omnia ſalium, ſulphurum, liquorumque mineralium naturas & varietates probe executito & explorato.

Deus mirabiliter diſpoſuit corporum genera, vt in aliis principia hypoſtatica ſecundum naturã ſint manifeſtiora, in aliis obſcuriora, vt nimirũ ex manifeſtioribus iudiciũ ſumamus primum atq; ad ea cognitionem principiorũ minus natura manifeſtorum dirigamus. Id q veri philoſophi agnoſcentes in mineralibus tãquam in rebus, in quib. principia ſecũdum naturam nota eſſent, ſalium, ſulplurum & liquorum naturas & varietates non ſolum intuiti ſunt & penſitauere: Sed

etiam

etiam ante omnia eorum naturas chymiæ opera eruere, vt quid principia hypoſtatica in aliis corporibus præſtare poſſent, rimarentur & experirentur. Quæ ipſorum opera & ſtudium non infeliciter cecidit. Qui enim potuit? Cum mineralibus vegetabilia, in vegetabilibus animalia natura mineraliũ nutriantur, ac proinde in omnibus corporibus mixtis, in quæ operari poſſumus, mineralia reperiantur. Hinc philoſophi in mixtis, reſolutione facta, varia ſalium & ſulphurum genera deprehendunt: non aliter quam in locis mineralibus, vbi ſal cõmune, ſal gemmæ, alumen cum ſuis ſpeciebus, vitriolum, ſal armoniacum & ſal petræ inuenire licet, & nec minus eadem ſalia in mixtis aliis.

Tantum candide lector, de medicinæ vero & ſolido fundamento præfari libuit, vt perfecte intelligas, quantum roboris habeat medicina Hermetica, cuius ſyſtema generale tibi fideliter ſub perſpicua & breui methodo communico, rogitans vt apud Deum me tuis precibus iuues, quo & Medicinæ noſtræ ſpeciale ſyſtema ſimiliter perſpicua & facili methodo illuſtrare, atque in conuenientiſſimum ordinem redigere poſſim ea, quæ particularibus curis inſeruiant, atque ſparſim & confuſe in libris Hermeticis non ſine ſumma obſcuritate proponantur. In id vnice incumbo, vt talentulum meum diuinitus mihi conceſſum & datum fœ-

nori exponam, & proximum eo pro virili promoueam, & iuuem. Nõ mihi natus ſum, ſed tibi. Si igitur eo animo, quo proferuntur, hæc exceperis, ad maiora me animabis & excitabis. Tu interim hiſce feliciter fruere, & vale.

SYSTEMA MEDICINÆ Hermeticæ generale.

CAP. I.

In quo Medicina definitio & ſanitas explicantur.

1. MEdicina eſt ars in certis præceptis modum ſanitatem hominis bene promouendi proponens.

Medicinæ vocabulum eſt ambiguum. 1. Sumitur pro *medicamento.* Sic lapis philoſophorum nominatur medicina: *Creauit è terra medicinam, quam vir ſapiens non abhorrebit.* 2. Pro *habitu medici*: Et ſic eſt facultas bene medendi in perito medico exiſtens. Hic habitus in ſyſtematibus medicis delineatur, vt alii eum imitentur. 3. Pro *ſyſtemate medico*, ita accipitur in dato theoremate. Huius medicinæ obiectum eſt homo, qui medicinæ operam nauat, & hoc ſyſtemate informatur. Medicinæ vero, quatenus eſt habitus in mẽte medici obiectum eſt homo, cui vel ſanitas conſeruanda vel reſtituenda eſt. Finis & opus

opus medicinæ huiuſmodi eſt ſanitas: vt ſyſtematis medici finis & opus eſt diſcipulus principiis medicis bene informatus, qua informatus. Dicitur *Medicina Hermetica*, quia principiis veræ philoſophiæ, qualis eſt Hermetica, nititur. Qua de cauſa philoſophi animum ſuum ad Hermeticam ſapientiam appulere, vt in medicina ſolidum ponant fundamentum. Hermetica enim philoſophia intimos & profundos naturæ receſſus recludit, naturam ſanitatis & morborum exquiſite indagat, remedia perfectiſſima elaborat, horum doſin debitam edocet. atq; multis paraſangis philoſophiam vulgarem, eamq; facultatem, quæ vulgaris ſapientiæ principiis fulcitur, medicinam nimirum Galenicam ſuperat: id vel hinc euidenter elucet, quod eos morbos Hermetici curare queant & ſoleant, quos Galenici incurabiles appellant, vt ſunt *lepra, epilepſia, podagra, chiragra, &c.* id quod ſatis arguit, Hermeticorum principia eſſe Galenicorum fundamẽtis certiora: principiorum enim artium certitudo & veritas non aliunde innoteſcit, quam ex praxei, vt ita recte dixerit Paracelſus *præf. defenſionum.* §. 252. Was in der Artzney mit Wercken nicht probieret wirdt/das hat ſein Diſputation verlohren vnd gewinnet im arguiren noch minder. Non appello Hermeticos, qui aquam aliquam ex herba vna vel altera deſtillare ſciunt, vel ex rebus alienis

auri

auri multitudinem, quam potius ipſa natura ſuppeditat ſua ſophiſtica operatione quærunt: illud enim vel minimus de plebe ſæpe vtiliter præſtat: in hoc vero ſophiſtæ & deceptores ſoli incumbunt: Sed eos, qui naturam in operando intuentur, imitantur, & ad eius formam laborant, vt ex natura per naturam, ingenio ſuo iuuante, medicinas quærant haud vulgares, quibus tuto, cito & iucunde curent, morbosq; vel deploratos expellant. Hi ſunt vere Hermetici. Vt ergo mihi non omnes probantur, qui Hermetici nominari volunt: Ita quoq; nõ omnes mihi improbãtur, qui Galenicæ medicinæ operam ſtrenuam nauant: Horum enim quidã rigidi, quidam ſaniores ſunt: quorum hi ſuæ medicinæ imperfectionẽ agnoſcunt, ac proinde Hermeticæ ſapientiæ arcanis ſuũ ſtudium exornare, augere, amplificare atq; perficere delectantur: Illi vero ſuæ medicinę Ethnicæ perfectionem tribuentes ſummam, nolunt præ inuidia ex mera infantili vel praua ignorantia videre eminentiam noſtræ philoſophiæ, nec inquirere in eius arcana, ſed potius reprehenſione eorũ, quæ non intelligunt medicinam ſuam condecorari atq; exaltari putantes petulanti ſua lingua in nos, noſtramq; ſapientiam inuehuntur. Horũ medicinæ, vt præpono ſophiam Hermeticam: Ita cum ſaniorum Galenicorũ medicina, ſeparatis erroribus, philoſophiam noſtram cõiungo, vt

per

per hanc acquirat ſuam perfectionem. Id quod ſatis feliciter præſtitiſſe videtur p.m. Ioſeph. Quercetanus, medicus experientiſſimus & philoſophus ingenioſiſſimus, quem præceptoris inſtar merito colo & honoro, vtpote ex cuius informatione me multum in Hermeticis ξυν Θεῷ profeciſſe ingenue fateor. idem hoc ſeculo alii doctiſſimi viri atteſtant. idq; ex profeſſo & memorabili inſtituto illuſtriſſimi, potentiſſimi & celſiſſimi principis Mauritii, Haſſiæ Landgrauii &c. Marpurgenſes medicinæ profeſſores factitant. idem cum & ego annitar, quis reprehendere auſit? cũ doctiſſimo Crollio, viro ſane digniſſimo, qui in medicinæ veræ ſalutem diutius vixiſſet ſtatuo, eum, qui in arte medica excellere cupit (ſiquidẽ nemo poteſt veraciter doctus euadere, qui in vnius duntaxat facultatis rudimenta iurat) ab omni ſectæ genere debere eſſe alienum, nec iurare in alicuius autoris ſententiam, ſed nudam tantum veritatem ſectari, eiq; ſubſcribere, ſemper memorem illius Horatiani:

Quo me cunq; rapit tempeſtas deferor hoſpes,
Nullius addictus iurare in verba magiſtri.

II. Sanitas eſt integritas corporis incorrupta à balſami fortitudine dependens.

Conſectarium.

Itaq; quo quis habet balſamum fortiorem, eo viuacior & ſanior eſt.

III. Fortitudo balſami pendet ex (a)

principiorum hypoſtaticorum legitima & mutua conſpiratione, vt inde balſamus ſuas functiones legitime expediat, quibus ſe ex aſſumpto alimento corroboret, id, quod non nutrit, ſeparatione facta per appropriata emunctoria excernat, & impediat, ne ſemina morborum, ſi quæ intus in carne vel ſanguine ſub tincturæ ſpecie latitant, prorumpant, ſtructuræque humanæ ruinam inferant, vel faciat vt ſemina ea fortitudine ſeu vigore balſami tanquam ſuperfluæ impuritates, quæ cum hominis ſanitate ſtare nequeant, è corpore protrudantur.

(a) Verum ergo eſt, quod Clariſſimus & Doctiſſimus Crollius *præfat. admonit. in Baſil. Chymicam* ait: *In quocunque corpore principia hypoſtatica per vnionem conueniunt, illud vere ſanum iudicari poteſt.*

IV. Medicina eſt vel ſanitatis conſeruatrix, vel eiuſdem Reſtitutrix.

CAP. II.

De Conſeruatione ſanitatis.

I. Medicina ſanitatis conſeruatrix eſt ars in certis præceptis viam à mor-

à morbis hominem præſeruandi præſcribens.

Græcis vocatur προφυλακτικὴ.

II. Præcepta do ſequentia.

I.

Pie viuito.

Pietas enim, ait Apoſtolus, eſt ad omnia vtilis, promiſſionem habens *præſentis* & *futuræ* vitæ. Pietas vero omnis in hoc conſiſtit, vt Deum ex toto corde diligas & proximum ſicut te ipſum. Quod igitur hodie tam multi pereant cito, noli mirari. Impietas habet dominium: Caritas vera & ſolida nullibi pedem figere poteſt. periurium, perfidia, vſuræ, & auaritia vbique ſpectantur. Adeo corpori mancipio ſuo anima domina ſeruitutē ſeruit. Cum equorum mille armento curando equiſo vnus, innumeris ouibus paſtor vnus, permultis bobus bubulcus vnus ſufficiat; vnius tamen corporis obſequio opus eſt omni illo,

Quod pontus, quod terra, quod educat aer.

Atque vtinam tot iſta ſufficiant! Nimirum, vt Stoicus ille ait: *Multis ſeruit, qui vni corpori ſeruit.* Finge enim te in nubibus conſtitutum, aut ipſis ſtellis vicinum terram aūerſione, oculorū obtutu perluſtrare: nempe neminem fere videas ocium agere, omnes formicarum more mare, terram, oppida & agros pererrare, per fas & nefas

Noctes atq; dies niti præſtante labore,
Ad ſummas emergere opes, rerumq; potiri.

Quid tu hic? nonne iure iſtuc Senecæ exclamabis? *Proh Deum atque hominum fidem! Quot hominum vnus venter exercet?* Bruta & feræ eiuſdem ſpeciei ſi ſeſe mutuo aut interimant, aut deuorent (niſi forte extrema inedia compulſæ) prodigium clamamus. Prodigio hoc quid in humano genere frequentius? Satyricus ait:

Quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore vnquam
Expirauit aper maioris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam, ſæuis inter ſe conuenit vrſis.

At homines, qui ratione pollent, ſeſe mutuo interficiunt, & quibus ipſa natura, ratio & oratio amorem & concordiam præ cæteris commendabat, ſeſe agminatim tanquam per luſum contrucidant. Adde quod, vt Seneca ait, *latrat* canis antequam mordeat, tempeſtas minatur antequam ſurgat, crepant ædificia antequam corruant: prænunciat fumus incendium. Subita ex homine homini pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius acceſſerit. Et quid erga hominem homo? qui inter ridendum minatur, qui inter ſalutandum mortem intentat, qui vultu adeo blando, adeo ſereno meras ſyrtes, infinitas chymæras celat & occultat. Erras profecto, erras, ſi illorum, qui occurrunt, vul-

vultibus credis: hominum effigies habent, animos cacodæmonum. Quin etiam, vt idem Satyricus addit:

Inueniás populos, quorum non ſufficit ira
Occidiſſe aliquem ſed pectora, brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi.

Hæc homines feri, & Barbari, Caribæ & Canibali fortè perpetrant, inquies. Ergo nondum tibi ſatis noti Europæi noſtri? Etenim quam tantopere celebramus, tantopere commendamus, humana inter nos ſocietas & commercium, quid niſi monopolium merum, niſi fraus & impoſtura mutua? Et inter nos homines noſtra opinione tam benignos & humanos quid ἀνθρωποφάγοις vſitatius? dum diuites & magnates è tenuiorum & inferiorum ſudore, cæde & ſanguine non amplius iam victitant, ſed delitiantur, vt his longe mitiores videantur illi paſtores, qui oues ſuas deglubunt, cute & carne ſpoliant, & vix oſſibus hærentes relinquunt. Adeo homo homini non Deus, ſed lupus & Diabolus. Non ergo mirare, repeto id quod ſupra dixi, quod plurimi cito intereant, imo citius, quam ad frugalitatem peruenerint.

II.

Sobrietatem ſectator.

Vt enim Ebrietas & nimia ventris re-

pletio vires balſami retundunt, infinitosq; procreant morbos. ita contra ſobrietas à morbis præſeruat. Sobrius præter reges cunctos extitit Maſiniſſa Rex Numidiæ: quippe qui ſtans ſemper ante tabernaculum cibum ſine pulpamento ſumebat cibario pane & bellariis militaribus contentus. Proinde in ſenecta adeo viguit, vt poſt ſextum & octogeſimum etiam ætatis ſuæ annum filium genuerit, & poſt nonageſimum ſecundum Carthaginenſes, qui contra fœdus ei bellum intulerãt, ſuperauerit. Quo in bello non modo optimi imperatoris, ſed gregarii etiam militis functus eſt munere. Huius virtutis beneficio M. Valerius Coruinus centeſimum compleuit annũ, firmo animi iudicio & integris corporis viribus. Et Socrates ſobrietatis etiam munere per omne vitæ ſuæ tempus inoffenſa fuit valetudine. imo *Sobrietas* etiam à morbo liberat. Sic ſunt, qui putant Cęſarem Comitiali morbo (quo correptus primum Cordubæ dicitur cecidiſſe) per ſobrietatem remedia adhibuiſſe, vt victus parcitate & duriſſimis laboribus, vigiliiſque id mali euaſerit.

III.

Nec auide cibum rapito, nec ingurgitato potum.

Natura in vegetabilibus nutrimentum ſubito ad ſe non rapit! omnia agit paulatim & ſuc-

& ſucceſſiue, vt conuenientem habeat motum ſuæ conſeruationi idoneum. Tuum ergo eſt, vt & hic naturam imiteris, dum edis, dum bibis. Fuit Alexandro hoc turpiſſimũ, quod poſt multas victorias opiparum, lautumq; conuiuium amicis ſuis compluribus præbuit, in quo meracæ potationis certamẽ exhibuit, & palmam, coronamque victori propoſuit; in quo promachus bibaciſſimus omnium iudicatus palmam meruit, & corona vnius talenti à rege donatus eſt, ſed morbo præ ingluuie & illuuione ſubito correptus poſt tertium diem interiit.

IV.

Simplicem cibum aſſumito.

Eſt enim, vt ait ſolertiſſimus Plinius homini vtiliſſimus. Vna natura eſt: vnius ergo generis cibo & potu maxime delectatur.

Conſectarium.

Itaq; varia cibi & potus genera vna vice tibi ne ingerito.

Heterogeneæ enim ſunt naturæ, nec æqualiter vnus idemq; ignis naturæ in eas agere, atque ex iis ſuo corpori nutrimentum excoquere potens eſt. Quo quid vnitati eſt vicinius, eo perfectius, & durabilius. Infinitæ arbores diu ſane viuunt, nec non niſi vnius generis nutrimento contentæ ſunt. Quod ſi tamen varius cibus placeat, certe in eo ipſo ſimilitudinem, ſi qua ratione potes, obſer-

nato: Nam diſſimilia quæ ſunt, *Hippocrate teſte*, ſeditionem mouent, dum ex his alia citius, tardius alia & mitificantur, & in corpus ipſum diuiduntur. Octauius Auguſtus plerunque in ſuis cœnis ternis ferculis fuit contentus. Imitare eum, deliciasque fuge, & melius habebis.

V.

Inſuetum cibum, potumque ne tibi ſubito familiarem reddito, niſi à perito medico & philoſopho ſanitatis tuæ conſeruandæ ergo tibi imperetur.

Omnis enim mutatio periculoſa. Natura eſt ſimplex: ſimpliciter operatur, & ſimplici delectatur nutrimento: Quod ſi mutaueris, & ipſi naturæ mutationem inferes. Vides, quod innumeræ aues, quæ capiuntur & includuntur, mutatione naturalis cibi in morbos incidant, & frequenter moriantur. Agnus lacte vaccarum enutritus raro ad debitam frugalitatem peruenit: frequenter mori eum videmus.

VI.

Antidoto contra venena te præmunito.

Ne venenis vel in cibo potuve hauſtis, vel aerem, in quo viuis, inficientibus pereas. Mithridates ex alterius antidoti, quæ poſtea *Mithridatica* ab illo appellata eſt, vſu

ita

ita corpus apparauit, vt nulla veneni vi læ-
di poſſet: & cum etiam lethale pharmacum
accepiſſet, mori non poſſet. Cum enim ab
hoſtibus deuictus ſeipſum interficere medi-
taretur, nullo veneni hauſtu mortem ſibi
conſciſcere præualuit: ſed vocato cuidam ex
amicis ſe iugulandum præbuit. Antidoti au-
tem huius ſunt varia genera. Præcipua tan-
tum commemorabo. Vna eſt confectio vi-
perino-iuniperina, quam Quercetanus *pag.
349. pharmac. reſt.* deſcribit. Altera, *Theriaca*
ipſius *benedicta*. Tertia, *Theriaca ipſius cœleſtis*,
eodem in libro explicata. Quarta, *Theriaca
de mumia*, & alia, quæ Crollius poſt deſcripti-
onem eius Theriacæ in ſua Baſilica Chymi-
ca accurate exponit. Vtere hiſce antidotis
ſecundum philoſophorum præſcriptum, &
ξυν Θεῷ *tibi non* nocebunt venena.

VII.

Aerem venenis infectum vitato,
& ſi in eo degeris, locum muta-
to.

VIII.

Medicamento vere renouante cir-
ca ver & autumnum vtitor.

Naturam inſpiciamus viperarum: hæ cer-
te hiſce temporibus exuuias deponunt,

nouamque pellem induunt. Medicina quæ cum macrocoſmo concordat, facilius & vtilius, ſeu efficacius operatur. Cum itaq; circa ver arbores & radices, quæ per hyemem quaſi mortuæ viſæ fuerunt, reuireſcere, ac proinde renouari videamus, philoſophi medicinam renouantem circa idem tempus aſſumſerunt, atque inde vitæ conſeruationem longiorem, diuino aſpirante numine, ſibi conciliarunt. Huiuſmodi medicina eſt aſtrũ hominis tinctura phyſica imprægnatum! Alii ſolo philoſophorum lapide vtuntur. Poteris tam mobile medicamen, ſi obtinere poteris, vel ſingulis ſeptimanis ſemel ſub debita doſes ad virium tuarum ſingularem reſtaurationem vſurpare. Id apud philoſophos lego.

IX.

Crebram Venerem ne exerceto.

Homo quidem procreandorum liberorum cauſa conceſſam venerem non abhorreat, illecebras alias fugiat, naturali legitimoq; connubio contentus reliquas omnes turpitudines reſpuat: verum modus ei adhibendus eſt, exemplo Solonis, qui per legem ſtatuit, vt ter ſingulis quibusq; menſibus vir vxori congrederetur. Omnia corpora poſt emiſſionem ſeminis debilitantur: Experientia etiam teſtatur, homines Veneri nimium indulgentes debiliores fieri, vt & arbores nimios fructus ferentes fieri poſtea ſteriles.

Hoc

Hoc hic notabis: Semen duplex eſt: *radicatum* & *ortum*. Semen radicatum eſt balſamus innatus corpori, qui ſi digeſtione perfectiori fouetur, fundit ſemen, balſamum ſane plane conſimilem. In iſto balſamo corpus viuit, tanquam in ſuo ſemine. Hinc recte Anonymus Leſchus *tract. 7.* ait: *Quamdiu in corpore ſemen eſt, viuit corpus: quando totum conſumitur, corpus moritur.* Quare nō mirum, quod multi Venere perierint, atque veſpere ſani lectum conſcendentes mane mortui deprehenſi fuerint. Semen arboris ſi velles vehementi & non naturali motione igneue nimio indebito tempore prouocare, ſtolidus eſſes, potius inde arborem ad ſterilitatem & mortem adduceres.

CAPVT III.

De morbo in genere.

I. FVit ita ars ſanitatis conſeruatrix: Sequitur ars ſanitatis reſtitutrix.

II. Ars ſanitatis reſtitutrix eſt ars in certis præceptis modum ægrum à morbis redimendi proponens.

Dicitur Græcis ϑεραπευτική.

III. Hic 1. morbum cum iis, quæ circa eum conſideranda ſunt, & 2. eius curationem edocebimus.

Vera enim methodus conſiſtit in cogni-

tione morbi, eiusque curatione. Doctrina de morbo dicitur græcis νοσολογία.

IV. Morbus eſt ſanitatis priuatio.

V. Itaq; cum ſanitas pendeat ex balſami fortitudine, morbus ex imbecillitate eiuſdem erit.

VI. Sed cum fortitudo balſami tanquam proprium πάθος conſpirationem principiorum hypoſtaticorum inſequatur, imbecillitas balſami orietur ex principiorum eorundem diſconuenientia.

Conſectarium.

Itaq; cuius corporis principia inter ſe non conſpirant, illud recte morbidum cenſetur.

VII. Circa morbum duo conſiderantur: 1. Cauſa coniuncta & proxima morbi, & 2. Coniunctæ huius cauſæ cauſa.

CAP. IV.

De alieno, quod eſt coniuncta & proxima morbi cauſa.

I. CONiũctam & proximam morbi cauſam placet appellare alienũ. Ea enim cauſa longe aliena eſt à noſtra natura.

II. Alie-

II. Alienum eſt vel Subſtantiale, vel Accidentale.

Subſtantiale dicitur, quia cauſa coniuncta morbi eſt ſubſtantialis eſſentia. *Accidentale* alienum nominatur, quia cauſa morbi conjuncta eſt accidens, non ſubſtantia.

III. Alienum ſubſtantiale eſt vel impura tinctura vel meteorum.

IV. Impura tinctura eſt impura ſpiritualis natura intimis noſtræ ſubſtantiæ penetralibus ita permixta, vt non adeo euidenter ſtatim ab eo tempore, ex quo immixta fuit, functiones balſami offendat, impediat & reprimat: ſed immota ad tempus ſubſiſtẽs tandem vires ſuas paulatim exerat, corpusq; noſtrum afficiat.

Huc referuntur 1. *Seminales tincturæ*, quibus ſemen hominis conſpurcatur, atq; homo, qui eſt ex eo ſemine, iiſdem morbis, quibus parentes, ſubiicitur. 2. *Impuritas corporis*, quæ eſt ex ſanguine, quo fœtus in vtero nutritus eſt: à qua impuritate, niſi noſtra ſubſtantia ſeparetur per variolas, morbillos, aliaq; emunctoria, non abſurdũ fuerit, totum corpus ex eiuſmodi impuritate vbiq; laborare. Purgationes vero huiuſmodi cito vel tarde accidunt iuxta balſami naturalis vim & robur, in aliis languidius & remiſſius,

in aliis vigentius exiſtens: quemadmodum in ipſis aruis videre eſt, quorum alia fœcundiora, alia aliis ſteriliora & infeliciora ex radiorum etiam ſolarium hanc vel illam terram oblique vel directe, benigne vel maligne intuentium virtutibus modo citius, modo tardius, modo maturiores, modo crudiores è ſinu ſuo flores, fructusque explicant & producunt.

v. Meteorum eſt vel Volatile, vel coagulatum. intellige *meteorum alienum, volatile alienum, coagulatum alienum*. Vtor voce meteori, vt inquiras, quomodo meteora macrocoſmi generentur, & ex horum generatione meteora microcoſmi explores.

vi. Meteorum *volatile* vulgo appellatur *exhalatio*: quæ eſt vel ſicca vel humida.

Exhalatio ſicca dicitur *fumus*, humida *vapor*. Fumida exhalatio cum ſit ab arido fumus expreſſus, calida, ſicca, leuis & ſubtilis, ſemper in altum fertur, ſulphureæ & igneæ naturæ propinqua, vt quæ facile ardeat, flammam concipiat, atque ſic incendat & vrat. Contra vapor aut fluxus humidus, cum naturæ ſit raræ, mercurialis & aqueæ, ſi ab externa caliditate, frigida ſua qualitate ſpoliatus in aerem efferatur, & ibi frigore concreſcat, priſtinam ſuam naturam recipere cogitur, ita vt ſcilicet in aquæ naturam conuertatur

uertatur & redeat. Vt autem in maiore mũdo videre eſt, eiuſmodi vapores & exhalationes, ſolis calore & aſtrorum influxu, nec non propria & interna caliditate excitatos materiam tam diuerſis ac ſtupendis meteoris ac corporibus imperfecte mixtis ſufficere, tum in aerea regione, tum in ipſis terræ penetralibus, præſertim ex vaporibus Mercurialibus frigidis, humidis & naturæ aqueæ nubes & pluuias, grandines, niues, gelu & ventos generari: At ex ſulphureis & calidis ſiccis coruſcationes, tonitrua, preſteres, fulmina & id genus alia ardentia meteora effingi. Sic in minore mundo, hoc eſt, humano corpore ſimiles & iidem vapores & exhalationes materiam multis & diuerſis meteoris efformandis ſuppeditant. Vnde tot ac tam varia morborum genera, eaq; ſtupenda, modo mercurialia, frigida & humida: modo ſulphurea, calida & ſicca, non forma quidem & accidente, ſed ſubſtantia, hoc eſt, virtute eſſentiali talia, tum in inferiore ventre, tum ſuperiore (hoc eſt, in capite & cerebro) partibus vbique terræ penetralibus & aeris regioni correſpondentibus, prorumpere palam eſt. Vide Quercetan. tetr.*p.45. & 46.*

VII. Meteorum coagulatum dicitur *Tartarus*. de quo in *ſequenti capite* tractabimus.

CAP. V.

De Tartaro.

1. TArtarus eſt mucilago acris, pũgens & corrodens, vel etiam aluminoſa, acida, ſtyptica, quæ in corpore naſcitur, & à ſucco ſuo ſeparata iuxta varium naturæ motum definito tempore locis ad recipiendũ idoneis à ſuperueniente ſpiritu ſalis coagulatur & colligitur, vel ſi ſuccus ille non fuerit ſeparatus, ſæpe in putrefactionem abit: vnde *vermes*, aliaq; infinita ſymptomata.

Quercet. conſilii ſui *de arthritide & calculo* p. 238. & ſeqq. ita tartarum explicat. Salſuginoſa ſubſtantia cum ſemper admixtam habeat aliquam portionem terreſtrem (licet liquefactiua in ea prædominetur) in homine appellatur tartarum, apto profecto & apprime ſignificanti vocabulo, quod inditum eſt ab analogia, quam humores corporis noſtri, atq; ipſe etiam ſanguis habeat cum ſubſtantia vini: quod inter omnia vegetabilia plurimum habet tartari. Per tartarum hic non tantũ intelligo eam ſubſtantiam, quam liquefactam cum vino recenti turbido adhuc & muſto appellato admixtam eſſe conſtat: quæque poſtea ſeparata tanquam craſſior, terreſtrior atque impurior abeat in fœces

cés, & ſubſideat in fundo, quam vini fœces nuncupant. Neque illud etiam tantum tartarum intelligo, quod temporis progreſſu à vino ſecretum dol.orum fœcibus adhæret, quodque proprie tartarum appellatur! Sed per tartarum etiam intelligimus illud, quod perpetuo cum vino liquefactum, admixtum atq; coniunctum eſt, cum vino etiam puriſſimo, quodq; colorem ei tribuit rubrum, aut alium quemuis. Verum hoc tartarum per euaporationē aut ſimplicem deſtillationem, vel per ipſum etiam balneū maris mediocriter calidum deprehenditur. Nam reſidet in fundo, ſeparata ea humoris parte, quæ eſt liquidior, quæq; diſſolutum illud tartarum in ſe continebat, eiusq; erat quaſi vehiculum. Hic ſane humor totus albus & limpidiſſimus extillat, ſi vel ex vino rubro fuerit: ſubſtantia vero corpulentior, atq; rubra, quam tartarum dicimus in fundo remanet: ſubſtantia ſolida, tantoq; durior & ſiccior redditur, quo plus ſubſtantifici humoris per calorem elicueris. Nec tantum in vino albo vel rubro, aut quouis alio defruto tartarum hoc: ſed & in noſtri corporis humoribus ſeu liquoribus exiſtit & reperitur: Nec ſolummodo in chylo, qui proportione reſpondet muſto vini modo extracto ex vindemia: à quo chylo haud ſecus ac ex muſto plures denuo fœces impuriores atque tartareæ ſubſtantiæ ſeparantur: ſed & in ſanguine noſtro, etiamſi puriſſimo, ſimili prorſus mo-

do ac ratione, vt de vino diximus: quemadmodum ars deſtillatoria (etiamque ea, quæ fit per temperatiſſimum ignem) oſtendit & patefacit nobis eiuſmodi tartarum. Sic quoque natura igne ſuo naturali efficere poteſt & indies efficit eiuſmodi ſeparationes tartari, etiam per conſumptionem partium humoralium corporis noſtri, ex quibus dogmatici calculos generari putant. Ex qua ſeparatione mirum quot morborum genera obſtructionum ſeu oppilationum interuentu procreentur: ſpeciatim vero & Athritis & calculus. Qui morbi vt & ipſimet ſentiunt dogmatici frequentius iis ſuperueniunt; qui hepate ſunt calidiore atque feruentiore, & per conſequens ventriculo frigidiore; quiq; multas ingenerant cruditates & mucoſitates: quæ non rite coctæ atque digeſtæ conferuntur cum fructibus crudis; qui defectu maturationis debitæ & conuenientis (quæ fit à calore contemperato omnia coquente & digerente) remanent acidi, auſteri, acerbi atque crudi. Hi ſane permixti cum ſanguine ac de integro coquuntur à calore naturali, fitque ſeparatio partis crudioris atque tartareæ, quæ poſtmodum & viſceribus adhæreſcit, variasq; cauſans obſtructiones in articulos protruditur & decumbit. Natura quippe cuiuſuis corporis partis gaudet ſuo ſimili: partes carnoſæ portione ſanguinis magis liquidiore & mercuriali veſcuntur:
adi-

adipoſæ & medulloſæ ea portione ſanguinis delectantur, quæ magis eſt oleaginoſa ſeu ſulphurea. At cum articulorum partes ſuapte natura glutinoſæ & mucilaginoſæ ſint, glutinoſum etiam & per conſequens ſalſuginoſum & tartareum poſcunt. Quæ partes in quibuſdam naturis cum vel ob imbecillitatem vel ob diſpoſitionem innatam ſeu hereditariam vel ob ſimilem aliam cauſam, crudam & iam indigeſtam tartaream illam materiam propria & particulari digeſtione digerere aut expellere non poſſint: fit vt illa materia de natura ſalſa & viſcida coaguletur & articulorum ligamenta, partesq; alias ſenſibiles offerciat atq; tandem excruciet. Quæ vera eſt, atque ex veris, hoc eſt, naturæ fontibus dolorum atq; tophorum arthritidis cauſa coniuncta, atque proxima. Eadem cauſa alia magis, alia minus excruciat, idq; pro natura, atque conditione eiuſdem tartari. Nam quemadmodum videmus in macrocoſmo magnam eſſe ſalium diuerſitatem: quippe terra nobis producit & ſalem gemmæ, qui ſali marino proportione quadrat, qui guſtu tantum ſalſus eſt; Et ſalem nitri ſapore amaro: Salem aluminoſum auſtero & adſtringente: Salem vitrioli & armoniacum acerbo acido: Itemq; vt nobis producit ſales quoſdam alkali dictos corroſiuos & acres: Et alios ſaccharatos & dulces: Ita quoque in microcoſmo, corpore, inquam, humano genera-

tur tartarum aut ſal, qui diſſolutus ſolummodo ſalſum efficit humorem, quem dogmatici pituitam ſalſam vocant,aut ſimpliciter humorem ſalſum: Aut nitroſus &amarus ſal generatur, quem bilis amara refert & vrina: Aut vitriolatus & acidus, quem pituita acida continet, atque melancholia. Ita etiam tartara ſunt aluminoſa & auſtera, quæque ſalis acrimoniam referunt: vt manifeſte patet ex tot contracturarum & aſtrictionum neruorum affectibus, & ex tot acrimoniarum, vt dyſenteriarum & variorum vlcerum tam internorum quam externorum moleſtiis, quæ ex diuerſis ſalium differentiis diuerſa corporis mala producunt. Cur enim id non faciant, quod & conuenientiora ſint & ſignificantiora? Et naturas, diuerſitatesque cauſarum ex ipſa natura rerum fidiſſima interprete melius exprimentia? Melius me hercle morborum tartareorum ſeu ſalſorum diſtinctiones atque eſſentias exprimunt, quam quatuor illi humores, qui ſanguinei, pituitoſi, bilioſi & melancholici vulgo appellantur, tum quod nihil exprimunt, quod ſit de eſſentia morbi, tum quod in illis formandis, applicandisque dogmatici plurimum fluctuent.

II. Tartarus eſt vel peregrinus, vel innatus.

III. Tartarus peregrinus eſt ex cibo &

& pötũ, firmamentique impreſſione.

Omne quod edimus & bibimus habet in ſe mucilaginoſum, luteum & arenoſum tartarum ſanitati humanæ nociuum. Natura non accipit, niſi quod purum eſt: Stomachus qui eſt inſtrumentum Archæi hominis, ſeu internus chymicus innatus ac à Deo implantatus ſtatim vbi ad ſe recepit comeſta ac ingeſta, ſeparat impurum fœculentũ tartareum à puro nutrimento: Si ſtomachus validus & maxime vi ſua ſeparatiua, purum tranſit ad membra nutrimenti cauſá, impurum per ſeceſſum exit: Si ſtomachus debilis, mittitur impurum etiam per venas meſaraicas ad hepar: ibi ſecunda fit digeſtio & ſeparatio: Hepar ergo ex duobus illis ſeparat viciſſim purum ab impuro, videlicet Rubinũ à Cryſtallo: Rubinus eſt nutrimentũ omnium membrorum, cordis, cerebri, &c. Cryſtallum, ſeu quod non eſt nutrimentum, expellit ad renes, & eſt vrina, quæ nil aliud eſt, quã ſal expreſſum à Mercurialibus per violentiam ſeparationis in reſolutionẽ coactũ, quod reſoluitur per hepar in aquam & expellitur: Si hepar ex debilitate non recte ſeparat, mittit mucilaginoſum & calculoſum ad renes, ibi in defectu bonæ ſeparationis ex potentia prædeſtinationis mediante ſpiritu ſalis in arenam ſeu tartarum aut bolarem aut mucilaginoſum coagulatur. Tartarus ergo hic eſt excrementum cibi &

potus; qui in homine per ſpiritum ſalis coagulatur, niſi vi propria expulſiua immiſceatur excrementis & ſimul egeratur. Ex Crollio.

IV. Sunt autem huius tartari genera quatuor, è quadruplicibus elementorum fructibus nos nutrientibus originem ducentia.

Primum genus oritur ex vſu creſcentium Terrę, leguminum, herbarum, quibus veſcimur. *Secundum* prouenit ex illo noſtro nutrimento, quod ex aqua ſumimus, vt ſunt piſces, conchilia. *Tertium* eſt in carne quadrupedum & volatilium: *Quartum* è firmamento, cui ſpiritus vini ſua ſubtilitate eſt ſimilimus, quod eſt validiſſimę impreſſionis, dum videlicet aer è vaporibus terræ & aquæ & firmamenti infectus, nos poſtea inficit: vt videmus in acutis illis & pernicioſis morbis Aſtralibus, pleureſi, peſte, prunella, &c. vide eundem Crollium *p. 74. præf. admonit. in Baſil. Chymicam.*

IV. Tartarus innatus eſt, qui cum homine in vtero matris connaſcitur.

V. Præter impuram tincturam & meteorum adhuc aliud alienum ſubſtātiale inuenitur, quod ad certum genus reuocari nequit.

Ad tale refertur corpus viuum, ſi quod in cor-

corpore è ſuo ſemine naſcitur, *vt ſerpens, lumbrici.* 2. Corpora, quæ maleficio & ſpirituum opera ſpiritualiter corpori inuehuntur. 3. Spina, glans bombardaria intra cutem relicta, &c.

VI. Subſtantiale alienum expoſuimus. Ad alienum accidentale refero *membrorum diſproportionem, ex qua gibbus, luxationem, vulnus & fracturam.*

CAP. VI.

De Deo, Cauſa alieni prima.

I. SIc alienum fuit explicatũ, quod proxima & cõiuncta morbi cauſa: iam ad huius alieni cauſam euoluendam progredimur.

II. Cauſæ huius vero conſtituo ſex capita: prima alieni cauſa eſt Deus: 2. Exceſſus vel defectus neceſſariorum. 3. Ignis. 4. Ius hæreditarium. 5. Imaginatio, & 6. Violentia illatio. De hiſce ordine agam, & quidem primum de Deo.

III. Homo cũ ſit ad imaginem Dei conditus, etiam ad voluntatem ipſius in lege & verbo diuino propoſitam viuere tenetur: Verum quando legem Dei pretergreditur & violat, pœ-

nas Deus ei immittit, quibus & morbi iure annumerantur. Sic ait Iehoua: *Si in decretis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuiam ſuo tempore: Sin autem non audieritis me, cõſtituam ſupra vos febrem, peſtilentiam & ſcabiem, quæ non poſſit curari: Et dabo cælum ſicut ferrum, & terram ſicut æs.*

Cap. VII.

De exceſſu & defectu neceſſariorum, alieni cauſa ſecunda.

I. EXceſſus neceſſariorum 1. in victu. Vbi tripliciter peccari ſolet, nimirum 1. nimia alimenti abundantia: 2. Varietate. & 3. modo receptionis. Nimia abundantia alimenti peccatur, quando id, è quo nutrimentum natura noſtra haurit, ſub indebita copia aſſumitur, vnde halitus plures, quam oportet, excitantur, quibus ſpirituum vaſa nimis opplentur atque ita eorum functiones intercipiuntur, vel victus mole ſua ſtomachi operationem & digeſtionem ordinatam obtundit. Infiniti hinc morbi; vt facile ex capit. 4. & 5. huius libri intelliges. 2. Varietate alimenti peccatur, quando vno prandio vel cœna varia cibi & potus

tus genera ſimul deguſtantur, & ſtomacho ingeruntur: nam frequenter ea maximam inter ſe diſſimilitudinem habent, ac proinde facile ſeditionem mouent. 3. Modo receptionis peccatur, quando cibus auide, priuſquam probe manſus fuerit, rapitur & potius ingurgitatur: vt ſolet ab iis fieri, qui in ſalutem ſeu ſanitatem alterius magnos & plenos cyathos ἀπνευστὶ euacuare pro more habent & ſibi laudi ducunt.

II. Exceſſus neceſſariorum accidit in ſomno & vigilia. Vbi ſomno nimio ſpiritus animalis in ſoporem, quaſi ſenſim adducuntur, vt ſuam functionem ſegnes fere ſemper obeant, atque paulatim aliquid de ſuo vigore remittant, donec tandem à ſua natura in prorſus alienam abeant, atque in ſtuporem dilabantur: Contra vigilia nimia facile inflammantur, vt ſæpe maniam, phreneſin, aliaque morborum grauiſſimorum genera inducant.

III. Eiuſmodi exceſſus quoq; contingit in calore & frigore. *Exceſſus caloris* fit, quando vel motu nimio corpus exercetur, vel alio modo extraneus aliquis calor accedit, natiuusque ignis præter modũ augetur, vt inde in corpore fiant exhalationes inordinatæ labefactionẽ nimiam in-

uehentes. *Exceſſus frigoris* accidit, quando frigus nimium circumſtans exhalationum excrementitiarum egreſſum impedit, eas repellit & cogit, vt in corpore maneant. Vnde quia à natura noſtra longe alienæ ſunt, multis variisque morborum generibus excitandis radices & fomenta præbent.

IV. Similis exceſſus eſt durities cutis, qua, quia non ſatis perſpirabilis eſt, ſecretus aer noſtri corporis, nec non ambiens intercipitur, quo minus libere inſpiret & expiret.

V. Defectus neceſſariorum eſt 1. defectus alimenti debiti. Qui eſt vel famis vel ſitis nimia paſſio. 2. requiei. Vnde verſus,

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

3. Frigoris internum cordis calorem per inſpirationem temperantis. 4. Caloris debiti, quo promouentur excrementitiæ exhalationes & *ſpirituum* functiones.

CAP. VII.

De igne, Tertia alieni cauſa.

I. IGnis voce hic non tantum intelligo ignem culinarem, aliumque ardentem & comburentem, ſed etiam ignem cœleſtem ſolis, & natiuum inſitumque partium microcoſmi calorem.

II. Ignis

II. Ignis alienum producit ſeparatione, qua illud à rebus proiicit, ſeparat & profundit.

III. Igne natiuo res aliena proiicitur, quando ignis per digeſtionem ab eo, cui ineſt, impurum ſeparat, egeritque illud, quo ſubſtantia noſtra inficiatur.

Sic innatus noſter calor cibũ aſſumptum digerit, atque beneficio innati ſalis diſſoluit, vt id, quod ſuæ naturæ eſt, homo intra ſe retineat, ſuæque ſubſtantiæ adiungat: id vero, quod alienæ naturæ eſt, excernat & per ſua emunctoria eiiciat. Quod excrementũ duobus modis hominem ſæpe affligit retentione nimirum & fœtore orto ex ſe eiecto & excluſo. Excrementum retentione nocet 1. quando ad emunctoria naturalia quidem defertur, ſed expulſiuæ virtutis imbecillitate foras haud efferri & expelli valet. 2. quando in ſtomacho relinquitur. 3. quando ſubtile venenum cum nutrimento membris intime ſe coniungit, quod in cibo vel potu intus aſſumitur: ſæpe fit, ait experientia & eruditione maxime conſpicuus Quercetanus *Conſilii ſui de Arthritide p. 259.* vt quando balſamus noſter contaminatur à quadam admixtione impura rerum alimentariatum, plurimis morbis atque ſymptomatibus præbeant occaſionem. Id quod doctiſſime Para-

celſus philoſophorum Germanorum Coryphæus in tractatu de ente veneni explicat. Aſtra ſudores, vaporesque arſenicales, aliaque noxia excrementa ſæpe fundunt. Vide Paracelſum de ente aſtrorum ſuper inferiora corpora. Vnde maniæ, phreneſes, pleureſis, peſtis dyſenteriaque ſæpe oriuntur. Res putrefactæ per ſalia corroſiua & fuliginoſas exhalationes, quæ calore partim ipſorum inſito, partim externo excitantur, nocere ſolent. Solent & excrementa hominum retenta ſæpe de nouo putrefieri, atque in iis vermes naſci: vnde fuliginoſi & maligni ſpiritus ad cerebrum aſcendunt, qui maniam, vertiginem, Epilepſiam, aliaque morborum genera excitant. Sunt & animalia, quæ ſuo natiuo calore alienam à noſtra ſubſtantia naturam emittunt. Cantharides tantam virulentiam ſpirant, vt etiam ab extra applicatæ perniciem afferant. Bartholomæus Montagnana medicus refert, quendam ciuem Paduanum, cum alteri genuum Cantharides admouiſſet ſupra quinque libras ſanguinis eminxiſſe. Idem quoque accidiſſe tradit alteri, qui eas ad vnguium leproſorum ſcabritiem tollendam pollici pedum applicuiſſet. Baſiliſcus tantum virus ex oculis ſuis fundit, vt vel ſolo intuitu inficiat & interficiat. Quantum noceant mineralia in mercuriales vapores

pores eleuata legere poteris in libris Paracelſi von den Bergkranckheiten.

IV. Igne ardenti & violento alienam naturam produci quis neſcit?

Carbonarii & artis chymicæ tractatores id abunde teſtantur: qui fuliginibus acribus, vehementibus, ſulphureis, arſenicalibus, mercurialibusque ſæpe adeo tentantur, vt in grauiſſimos incidant morbos. Acetarius lucri cupidus tartareas fœces ex vino omni humore ſpoliatas vi ignis calcinat, cineresque ſuos præparat, idque in remotu ſeceſſu, ne videlicet vicina loca aut vrbes fœtore tetro inficiat, fecibus eiuſmodi vſque adeo impuro & putido ſulphure ſcatentibus. Fumus Galbani & cornu cerui lethargum excitant.

CAP. VIII.

De iure hæreditario, alieni cauſa quarta.

IVs hereditarium hic eſt alieni per impreſſionem tincturæ fixæ ab alieno (a) ſale fixo ortæ in ſemine, quod parentes ad generationem liberorum contribuunt, transplantatio.

(a) Sal ſolus & vnicus ex tribus principiis hypoſtaticis eſt fixus atque firmus. Quapropter qui ab eius vitio fiunt morbi, radices fixas habent, ac proinde plerunque

ſunt hæreditarii, vt *lepra, calculus, arthritis* & his ſimiles: reliqui autem morbi, qui à principiorum fluxibilium aut volatilium vitio, vt à Mercurio vel ſulphure procedunt, vt ſunt *omnes catharri & febres*, haud ita facile ad poſteros pertingunt. Nam nec ſemina ſua firmiter figunt, nec tam altas agunt radices, quod tenacius impreſſas tincturas non habeant. Salis vel etiam ſulphuris eiuſmodi natura fixi pulcre eluceſcit in plantarum ſeminibus & radicibus; quarum ſi vel partes tranſplantes, facilime tamen nouas agunt radices, atque regerminant, adeoque nouos edunt fructus. Quod neutiquam fiat de foliis aut floribus, in quibus liquor aut Mercurius volatilis & ſulphur, ſeu Deum volatile ſedem habent. Sed ſal fixus perpetuo continetur in radice, & in quibuſdam caulibus & ſurculis medulloſis: at ſulphur fixum in ſemine. Quapropter ex his etiam tranſplantantur omnia vegetabilia: At à mercurialibus, quæ facile euaneſcunt, non item: quemadmodum nec à ſulphure volatili præditis: cuiuſmodi ſunt *flores* & nonnullorum *folia*. Vide Querc. *Conſilii de Arthritide & calculo p. 257. & ſeq.*

Quicquid igitur, ait idem Quercetanus *p. 260. & ſeq.* in parentibus continetur, quod firma, eademque ſpirituali impura morbida maligna tinctura ſeu impreſſione balſamum illud radicale, vitale ſemen, humanæque naturæ

turæ radicem afficere aut inficere poteſt, tranſplantatione hæreditaria malum in poſteros transfert. At ſi morborum impura illa ſemina non ita adeo profundas radices egerint: Vel ſi balſamum humanum non adeo potenter occupauerint: Vel ſi ope naturæ & interno illo balſamo ſeparentur: Vel artis miniſterio ab externis remediorum ſpecificis balſamis debellentur, aut etiam ſuæ vitæ terminum aſſecuta fuerint: podagrici podagricos, leproſi leproſos non ſemper generant: Nam his mediis morborum radices fixæ atque inquinatæ eradicantur, impuraq; ſemina purificātur, vel ſenio ſuo extinguuntur. Quæ morborum eradicatio & purificatio radicum atque ſeminum infectorum interdum fit beneficio terræ, nempe matricis mulierum robuſtarum bono temperamento, optimaque valetudine præditarum. Vnde fit vt licet patris ſemen eiuſmodi vitio morbido ſit inquinatum, iſtud tamen emendetur à vigore laudati balſami radicalis ipſius matris; ne à patre calculoſo calculoſi, aut arthritico arthritici generentur. Et quod magis eſt etiam, tales generant interdum, qui ne his quidem morbis ſunt obnoxii, vel ad eos proni & procliues. Et econtra fieri poteſt, vt à patre ſano, vegeto & laudatum ſemen contribuente proles tamen morbida aut morbis hæreditariis obnoxia procreetur: nimirum patris ſemine concipiente vim

illam malignam morborum, quibus mater diuexatur. Sane vero ſemen tritici, licet laudatum, alioqui, ſi in terram non bonam coniiciatur, in zizaniam abit, aut certe frumentum illaudatum. Quod tamen denuo coniectum in terram bonam, priſtinam naturæ bonitatem requiret.

CAP. IX.

De imaginatione, alieni cauſa quinta.

I. IMaginatio eſt aſtrum ab obiecto externo excitatum in firmamento hominis.

II. Et quando imaginatio inflammatur, oriuntur defectus.

III. Inflammatur vero 1. quando ſibi obiectum fingit, appetitque, nec tamen eo frui homini licet.

Vnde prægnantibus mulieribus (in quib. imaginatio vehementiſſima eſt, propter fœtus, quem vtero gerunt, ſidus, quo percelluntur, quando ſingulare aliquid appetunt) aliquid cibi appetentibus, nec tamen fruentibus euenit, vt vi inflammatæ & exaltatæ imaginationis eius, quod appetiuerunt, formam & figuram fœtui imprimant: imo & ſæpe mortem inferant: id quod ex hac hiſtoria cognoſcere eſt. Mulier quædam, vterum ferens deſiderio humeri piſtoris denudati, dum panem ad furnum defert, omnem

cibum

cibum penitus faſtidiebat præter carnem de humero dicti piſtoris. Maritus percharæ vxoris miſertus certam pecuniam pro ſingulis morſibus pactus fecit, vt ille duos dentium mulieris inſultus ſuſtinuerit. Tertium vero doloris pertæſus cum amplius ferre nollet, hinc mulier tergeminos eſt enixa, duos viuos & tertium mortuum. Ex Langio refert Mizaldus *Centuria prima.* Huc referuntur & hi, qui ſapientiam magnam affectant, ea vero præ ingenii ſui imbecillitate, tenuitate & aſinina ſtupiditate potiri nequeunt, atque plerunq; in inſaniam incidunt. 2. Quando ab obiecto homini terror incutitur. Hinc & homini ſæpe aliquid detrimenti infertur. Terror plurimis peſtem incutit & ita per peſtem affert mortem. Eſt Gueiſburgi vxor cuiuſdam piſtoris, quæ, dum vterum geſſit, in ſiluula lignum legens à ciue quodam eius loci perterrita alteram manum manu attriuit, compreſſitque, ac deinceps filiolum vna manu præditum, quem vidi, atque in ſchola publica ibidem informaui, enixa eſt. Eodem modo hominum noctu à phantaſmatis & ſpectris perterritorum alii in morbos inciderunt & perierunt, aliis pili à ſuo natiuo colore in alienum abierunt, quando eos in ipſo terrore attigerunt. Noui duos, qui illud ſibi contigiſſe affirmarunt: vnus habet barbam dimidia parte canam; alter capillorum aliquam partem in album colorem verſam;

Cæteris pilis ſuum priſtinum colorem adhuc retinentibus. 3. Quando nauſea per obiectum ſenſus mouetur. Vnde fit, vt homo perturbetur, & non raro ſimiliter ad nauſeam permoueatur, quando id, quod alii euomuere, attente intuetur. 4. Quando quis malum, in quo verſatur, intolerabile ſibi eſſe fingit: Vnde homo de ſua ſalute deſperans ſæpe ſibiipſi mortem conſciſcit.

CAP. X.

De violenta illatione, alieni cauſa ſexta.

I. Violenta illatio duobus modis perficitur & *Corporaliter* & *Spiritualiter*.

II. Corporaliter, vt quando acutis ſpinis homo pungitur, gladio ei vulnus infligitur, rota crura franguntur, &c.

III. Spiritualiter, vt, quando malignorum ſpirituum ſubſidio homo oculis priuatur, intra ipſius corpus inuiſibiliter viſibilia corpora immittuntur, atque alia incommoda inferuntur, in cuius rei fidem hanc hiſtoriam ſubnectere placuit, quæ anno 1539. in quodam pago ditionis Epiſcopatus Eiſtetenſis, *Fugeſta*, nomine accidit, in eo pago Vlricus Neuſeſſer agricola crudelibus dolorum tormentis in altero hypochondriorum excruciatus ſubito clauum ſub illæſa cute depre-

deprehenſum, facta inciſione à chirurgo detraxit. Nec tamen dolores ob id ceſſabant, ſed indies magis magiſque incrudeſcebant. Quare cum nec aliud doloris remedium fore ſuſpicaretur miſer ille, quam mortem, arrepto cultello miſerrime ſibi guttur abſcidit: Itaque dum tertio die mortuus ad ſepulcrum efferretur, aderant tum Eucharius Roſenbader ex weiſſenburg, Noricorum oppido, ac Ioannes ab Ertenſtet chirurgi, qui aſtante magna hominũ frequentia demortui agricolæ ventriculum inciderunt. In eo (res mira & prodigioſa) lignum teres & oblongum; quatuor ex chalybe cultri; partim acuti, partim ſerræ inſtar dentati ac duo ferramenta aſpera reperta fuere: quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant. Aderat & capillorum inuolucrum globi inſtar. Mizaldus refert ex Langio *in centuria ſexta.*

CAP. XI.

De Curatione morbi.

I. HVcuſque morbum ex ſuis cauſis cognouimus: Supereſt, vt curationem eius in generalibus præceptis doceamus.

II. Ne vero ἀμεθόδως procedamus, ſectiones huius capitis faciemus octo.

1. Docebimus, quid ſit morbi cura-

tio & Quotuplex. 2. Qualis eſſe debeat medicus. 3. Qualia ſint remedia. 4. Ex quo rerum genere petantur. 5. Quare reſtitutionem ſanitatis interdum introducere haud poſſint. 6. Quomodo applicentur. 7. Quomodo ſe gerat æger, dum ipſi remedium exhibetur & 8. Quid ſit vniuerſalis medicina; ex qua materia fiat, & quis eius legitimus vſus.

SECTIO I.

In qua Curatio morbi definitur.

I. CVratio morbi eſt operatio, qua ægro per morbi depulſionem ſanitas priſtina reſtituitur.

II. Curatio, ſeu ſanatio omniũ morborum (vt hic etiam conuenientiſſime ſignificantibus P. Seuerini verbis ex Crollio vtar) eſt duplex.

III. Vniuerſalis, quæ eſt ablatio radicum ſeu impuritatum morbidarum, vel ab ortu, hæreditarioue parentum ſemine, vel poſtea alimentorum vſu & culpa, ſiue externarum impreſſionum iniuria in Humanam Anatomiam inſitarum.

Per-

Perficitur balſamo naturali remediorum humanæ naturæ conſentaneo, reſoluente, conſumente & diſſipante impuritatum ſeminarias tincturas: Corroborante vero, conſolidante & cuſtodiente innatum balſamum (quamdiu enim ſecundum Paracelſum humidum radicale manet in ſua quantitate, non ſentitur morbus) Et quia hic Indicationum pluralitates, particularitates, ordines locum non habent, vno eodemque remedio abſoluitur. Ideo non ſine cauſa dicit Lullius, poſſe hanc vnicam ſupremam & vniuerſalem medicinam, ad quam omnes medicinæ particulares reductæ ſunt, corpori humano adminiſtrari, ſine infirmitatis cognitione, quia ſapiens natura per ſuum inſtinctum dedit ei virtutes curandi omnes infirmitates naturales & rectificandi ſeipſam. Quatuor ſumma morborum genera exaltata & conſummata vniuerſali ſolummodo curationi ſubiiciuntur (*Epilepſia*, videlicet, *Podagra*, *Hydrops*, *Lepra*) adquorum familiam omnes reliqui inferiores morbi tanquam ad fontes & principia deducuntur. Optanda quidem eſſet vniuerſalis hæc curatio, ſed pauci hoc diuûm munere digni habentur Raymundus Lullius ſedulo & fideliter Medicos ad perfectionem aſpirantes iubet quærere vniuerſalem illam medicinam, quæ vna eſt ſanatiua omnis infirmitatis &

confortatiua ſpiritualium virtutum: ſiquidem in ea tanquam in vnum proprium ſubiectum facta eſt omnium operatiuarum virtutum totius medicinæ (per tres naturæ familias alioquin naturaliter & confuſe diſtributiuarum) naturæ curſu realis & vniuerſalis coniunctio, congregatio & colligatio: & qui talem habet omnium morborum antidotum in hoc mundo, Dei donum habet, quia theſaurus eſt perennis, incomparabilis & innumerabilis. Quæcunq; infirmitas hoc competenti adminiculo naturali adminiſtrato non ſanatur (ſiquidem ex denegatione auxilii digitum Domini naturæ animaduertere non obſcure poterimus) tolerabilius tamen facit malum, donec infirmum liberet ipſe Deus omnipotens.

IV. Particularis, in qua non ſemper radices ipſæ vel ſeminales tincturæ morborum tolluntur, ſed ſæpius fructus, ſymptomata, paroxyſmi, dolores mitigantur, prohibentur, ad exaltationes venire non permittuntur, excrementorum euacuationes inſtituuntur, & debilitatæ naturæ corroborationes adiunguntur, remediorum cōſentaneis ſpiritibus, qui morborum diuerſoria ſoli ſciunt.

Nihilominus hæc particularis curatio

non

non eſt contemnenda:ſæpe enim in morbis grauiſſimis vniuerſalis officio fungitur, quia Deus è miſericordia ſua quædam ſecreta naturalia vniuerſalia manifeſtauit, quæ in ſe continent naturam totius cœli, alia totius aeris, quædam totius terræ, per quæ morbi facile dignoſcuntur & curantur: Specifica enim & appropriata remedia facta ſpiritualia vniuerſalem curationem ſæpe æmulantur, impuritatum radicibus conſumptis & balſami virtute confirmata. Vtique beati eſſemus in defectu vniuerſalis, ſi ſaltem particulares, ſubalternas, ſpecificas, indiuiduas curationum ſpecies attingere liceret. Hactenus Seuerinus.

SECTIO II.

Qualis eſſe debeat medicus.

I.

MEdicus, qui bene mederi deſiderat, ſit pius.

Medicina enim vera & ſolida aliunde non habetur niſi à Deo: Cui in hac vita alio modo inſeruire non poſſumus, niſi ſola pietate, quæ in ſe aſſiduas ad Deum preces, gratiarum actionem pro beneficiis gratuitis & amorem proximo debitum includit. Deus adeo bonus eſt, vt omnia, quæ hominis beatitudini & ſaluti neceſſaria ſunt, tum bonis, tum malis offerat, & exhibeat: Sed vt iis legitime in honorem Dei, & vtilitatem proxi-

mi fruaris, ſola facit pietas. Si itaque medicamenta idonea & propria ex innumeris diuinitus quotidie affluentibus & apparentibus tibi ſeligere deſideras, Deum time, & ama proximum: inuenies dubio procul ea, quæ pectus tuum exaturent. Facile ex dictis intelligis eum non rite medici officio fungi, qui auaritiæ ſtimulis permotus vſuris inhiat, & ad mundi diuitias corradendas remediis diuinitus oblatis abutitur. Impoſtores ſunt omnes, qui eo fine medicinam, eiuſque inſigne ornamentum, Alchymiam tractare ſolent.

II.

Eſto naturæ miniſter, non magiſter, & Hippocratis ac Galeni ſententia philoſophus medendi peritus.

Et quia duo philoſophantium genera, quidã naturas rerum elementares ſub ſphæra lunæ vulgari modo inquirunt, quidam longe ſplendidiores & veriori nomine philoſophi arcana & naturæ ſecretiora veſtigant, hi naturæ primitiora adyta & ſanctuarium eius ingrediuntur; ac veram habent cognitionem & experientiam luminis naturæ, vnde veri medici oriuntur: Nam innata vis naturalis creſcentium terrę per chymiam copulata cum conſtellatione firmamenti, mediante dexteritate medici, ab influentia cœleſti cauſata, hæc tria demum geminum pariunt medicum. Ex Crollio.

Eſto

III.

Eſto Spagyrus, qui rei medicæ habeat ſcientiam, purum ab impuro ſeparare, ægrotumq; ſanitati per præparationem Alchymicam reſtituere ſapientem.

Sicuti enim aurum ſepties in igne probatur: ita etiam Medicus per Vulcanũ bonum à malo ſeparãtem probari debet: inſuper etiam è ſua experientia naturalium operũ diligenti inſpectione confirmata aliquid habeat: Nam philoſophia eſt medicina practica, porrigens medicis in manus omnem medicinam, & verus ille demum medicus è lumine naturæ natus, cui natura ſuam experientiam communicat. *itidem ex Crollio.*

SECTIO III.

Qualia ſint remedia.

I.

Remedia morbum *(a)* pellant, & *(b)* naturam corroborent.

(a) Hinc natũ eſt illud medicorũ indubitatũ principium: *Cõtraria contrariis curantur*: Contraria enim ex philoſophorũ conſenſu ſe mutuo pellunt. Itaq; quia remediũ morbum aufert, remediũ morbo contrariũ erit. *(b)* ac proinde naturæ noſtræ debẽt eſſe ſimilia: Et hinc Hermeticorum principium manet inuictum: *Similia ſimilibus curantur.* Imo etiam remedia debẽt naturæ morborum ſe-

cundum hypoſtatica principia eſſe ſimilia, ſecundum energiam vero & efficaciam diſſimilia: Hinc calculus à tartaro ſeu ſale coagulato curabitur ſale quidem, ſed reſoluente. Arthritis quin etiam à ſalibus tartareis acribus ac corroſiuis genita, ſalibus curabitur lenitiuis & conſolidatiuis. Simili ratione in morbis ſulphureis à ſulphuribus rerum petenda ſunt remedia: Sed ſulphuri inflammatorio febrem excitanti opponitur ſulphur acidum vitriolatum: quod ſumme refrigerat, ſulphureosque illos commotos ſpiritus coagulat & compeſcit.

(a) *Conſectarium.*

Itaq; nihil prohibet, quin remedia quædam ſint corroſiua.

Ita tamen, ne inde balſamus noſter & ſalutare aliquod principium, ſed ſolum illud alienum, quod morbum proxime facit, corrodatur.

II.

Remediorum quædam ſint ſpagyrice præparata, quædam aliter.

Non enim ſemper remediis chymicis vtendum, ſed tum ſolum, quando naturalis Alchymiſta ipſe ſeparationi impuri ab impuro, eſſentiæque, in qua vis medicinæ appropriatæ proxime hæret, è corpore miſto eliciendæ eſt inſufficiens, atq; morbo fixas radices habenti remedium è mineralibus, vt

malo

malo nodo malus cuneus adhibeatur, opponendum. Stultum alias eſt id artificio chymico ſeparare, quod natura noſtra facilius præſtare poteſt. Et hæc melius ſcit, quod ſibi conueniens eſt, quam artifex; vtitur enim igne proprio & magnete ſimilem & ſibi cōgeneam naturam è corporibus aſſumptis attrahente: vbi contra artifex non ſemper igne vſque adeo & omni ex parte ſimili ſuas operationes perficere poteſt. Quapropter veri Hermetici non ſemper vtuntur mineralibus: imo frequentius in mineralium exhibitione medicinis è familia vegetabilium depromptis vtuntur, & hiſce ſua acuminis ergo imponunt.

III.

Sint appropriata & ſpecifica.

Id eſt, diuinitus naturam in ſe habentia, qua morbus hic vel ille vere tolli poſſit: ſeu diuinitus ſint deſtinata vel omni morborum generi, vel certæ ſpeciei pellendæ & eradicandæ. Id quod facili corruptioni obnoxium eſt, omni morbo opponi nequit: atque hinc ex eo ſolum antidotum contra certum morbi genus veri philoſophi eliciunt. Philoſophia hic opus eſt, quam ſupra in prodromo delineauimus. Vt de medicamentis propriis euadas certior, Hermeticorum libri de ſignaturis rerum diligenter legendi & penſitandi, imo & ii, in quibus ſolida praxis medicinæ eluceſcit. Vniuerſali medicina ſi

ziri poſſes, multis curis & magna ſollicitudine ſæpe non opus haberes. Ea ex eo corpore, cuius balſamus & ſe & ipſum corpus, cui ineſt, ab omni corruptione tuetur, dubio procul elicienda eſt. Illud corpus adeo æquali libramine elementorum temperatum & adæquatum eſt, vt nullius elementi qualitates ipſum corrumpere in perpetuum poſſint. Secus ſi ſenſeris, ſtulteſcis & erras. Illud enim quod natura habet, natura dare poteſt: quod non habet, non dabit. Sapienti ſat dictum. Ex lumine naturæ vero loquor: mea contemplatio aliud fundamentum medicinæ vniuerſalis adhuc nondum inuenire potens eſt.

SECTIO IV.

Ex quo rerum genere remedia petantur!

EX verbo Dei & natura: atque in natura ex mineralibus, vegetabilibus & animalibus remedia ſumantur. Auxilio verorum philoſophorum, præſertim vero Dei hic vtendum. Si illud inuenire poſſes, quod naturam à veneno ſuo purgaret in macrocoſmo ita, vt ipſa natura ſalua & integra permaneret, nec aliquid inde calore extraneo eleuaretur, quod de ipſius homogenea eſſentia & perfectione eſſet, dubio procul medicinæ veræ & ſolidæ vis & via tibi patefacta eſſet.

SE-

SECTIO V.

Quare remedia reſtitutionem ſanitatis interdum introducere haud poßint.

ID doctiſſime Doctiſſimus Crollius *præfat. admonit. in Baſilicam Chymicam* docet. Ita ait. *Obſeruetur quandoq; ægrum optimis & conuenientiſſimis medicamentis adhibitis non ſanari propter has octo cauſas,* quarum

1. *Prima eſt*, Quod terminus vitæ inſtet, qui nullo ingenio humano vel quocunq; eius ſubſidio pertranſiri poteſt: Nullum enim remediũ corpus corruptibile, à morte, peccatorum pœna & ſtipendio vindicare poteſt; Sed eſt res vna, quę corruptionem aufert, iuuentutem renouat, & breuem vitam vt in patriarchis prolongat. Quamuis autem abbreuiari & prolongari poſſit vita, tamen ob peccatorũ pœnam, æternæ legis immutabili decreto, neceſſario tandem moriendum eſt (coniunctio enim rerum diuerſarum affert neceſſariam ſecũ diſſolutionem) ne regreſſum in ætatibus (vt eſt apud Platonem) conſtituamus: Et in hoc caſu etiam vniuerſalis & ſummę medicinę vſus irritus eſſet, quia coniugium vitæ & mortis, ſeparationi neceſſi atæ immutabili deſtinatum nulla artificum vel naturæ induſtria perpetuum efficere poteſt: leges enim naturæ inuiolabiles ſunt; Non ergo petendum, multo minus inueniendum auxilium, vltra terminum illum vltimum à Deo nobis impoſitum.

II. *Secunda*, Quod imperitorum medicorum ignorantia, medicamentisq; pernicioſis eo deductus ſit æger, vt bonorum medicamentorum vſu, quod corruptum, pernicioſum & immedicabile malum eſt, reſarciri & ſanari nequeat: & hic plerunq; vocari ſolent chymici, qui ſemper Trophili medici apud Plutarchum recordabuntur, affirmantis hūc perfectum eſſe medicum; τὰ δυνατὰ, ἔφη, καὶ τὰ μὴ δυνατὰ, δυνάμενος ἀναγινώσκειν: nec generoſis & immeritis remediis glorioſa oſtentatione vnquam vtentur apud apio indigentes ad infamiam: οὐ γὰρ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν: Caueant etiam ſua medicamina aliorum venenis admiſcere, ne aut pernicies bonis, aut ſalus nocentibus adſcribatur, quia dolendum eſt tam execrabilem eſſe quorundam medicorum inuidiam, vt antequam honorem & laudem alteri expertiori permittant, ad tuendam exiſtimationem vacillantem, aliorum arte ſanabilem in extremum exitium præcipitent, ideo etiam à plebe tales merito honeſti carnifices vocantur.

III. *Tertia*, Quia medicus ſero vocatur, quando videlicet natura ſuccubuit, & morbus vicit: alioquin ſi in ægrotum agrum, medicinæ conueniens ſemen à ſeminatore Medico tempeſtiue ſeritur, principiis obſtando, procul omni dubio iuxta Dei benedictionem expectatus reſultabit ſanitatis fructus.

IV. *Quarta*,

IV. *Quarta*, quia æger non obtemperat: fit enim ſæpenumero, vt ægrotus in medicamenta vel in medicum ea transferat errata, quæ ipſe contra auream apud Ælianum Locrenſium legem mala viuendi ratione commiſit.

V. *Quinta*, quia quædam naturæ ſeu proprietates hominum peculiares ad ſanationem inidoneæ nec pronæ ſunt: ſicuti videmus etiam nonnulla ligna propter nodorum abundantiam ita ex naturali defectu & corruptela degenerare, vt nullo modo findi poſſint: Et multoties tempus cum aſtorum mala inclinatione ſanationi eſt contrarium: Quicquid enim ſanatur ante tempus, recidiuæ obnoxium eſt: ſola ſiquidem temporis hora ſeu meſſis dat firmam & fixam ſanitatem: Pyrum maturum ſponte cadit: Immaturum fruſtranea arboris ſuccuſſione ad caſum ſollicitatur; Ideo his neglectis, præſertim in cura morborum aſtralium omnia ſunt irrita, & fruſtra inſtituitur ſanatio: Medici etiam dent operam, ne plus periculi ſit à medico & medicina, quam ab ipſo morbo; ideo nunquam conſulant, quæ in perniciem vergant animarum & corporis, & præcipuum illorum ſit ſtudiũ, ne noceant, vbi prodeſſe non poſſunt: Ita bona conſeruatur conſcientia, quæ perpetuo eſt cordis lætitia.

VI. *Sexta*, quia morbi prædeſtinationis terminum attigerunt, vbi naturæ legibus non

conceditur regreſſus, vt in perfectis, abſolutis & conſummatis, bituminoſis, bolaribus, lapideis & arenoſis coagulationibus: in eiuſmodi enim conſummatis morbis fruſtra eſt omnis cura: ſicuti etiam in cæcitate & ſurditate innata videre eſt: Quod enim natura ſemel ademit, reparare medicus nullo pacto poteſt: ſicuti corporis ſubſtantia male conformata & partes ex genitura tranſpoſitæ, mutari nequeunt.

VII. *Septima*, Quemadmodū medicos ſordida ægrotantium tenacitas (ſiquidem nulla pecunia honeſtius acquiritur & æquius numeratur) in officio indiligentes facit: Ita ſæpe etiam ægrotantis hæſitatio, diffidentia, incredulitas erga diligentiſſimum medicum effectum medicamenti remoratur, aut plane operam medentis impedit.

VIII. *Octaua*, Ne peccata maiora conualeſcent ægrotus in Deum, proximū & ſeipſum cum animę ſuæ iactura committat: ſiquidem omnis morbus eſt piaculum, vel hac diuina innata pœna, vindictą & flagello ad vitæ emendationem in poſterum à iuſto iudice vocatur: vel hac viſitatione paterna & impoſita cruce patienter ferenda ſibi & proximo exemplum ſit, ad ardentiorem Dei timorem & cultum; quia permittit Deus ſæpius, multas quoſdam homines & magnas incidere ægritudines, quibus læta ſanitas carnis, cum continuatione peccatorum, maximam

non

non ſine æternæ ſalutis iactura intuliſſet ægritudinem mentis: ſanitas enim ſine remiſſione peccatorum nihil conducit, cum potius ſit condemnatio. Inſuper peccata debilitant vires animę, ita vt impotens ſit ad corporis regimen naturale. Ideo debilitantur vires corporis & feſtinant ad mortem. Vel hoc infirmitatis iugo & fræno ceu purgatorio ſalutari in officio ſaltem pietatis contineri ſolet (Quamuis pauci ex infirmitate emendantur) dum amputatur ei peccandi licentia, qua fuerat abuſurus, diutius in firma ſanitate aut vita conſtitutus. Hæc Crollius. Obiicis ergo, *medicinam quandam non recte appellari vniuerſalem, quia abſolute omnes morbos non curet.* Reſp. Medicina dicitur vniuerſalis, non quod ſemper omnes tollat morbos, ſed quod omnes morbos pellat, qui modo cæteris remediis particularibus vniuerſis abigi & eradicari poſſint, & inſuper etiam eos, qui particularibus medicamentis non vel vix cedunt: vt ſunt podagra, Epilepſia, Lepra, Hydropiſis, &c. Dicitur ita vniuerſalis, quia omnium aliarum medicinarum vires & virtutes huic vni eminenter inſunt, ac proinde medicamina particularia ad illam recte reducuntur. *Confer Lull. 31. cap. pract. teſt. p. 201. b.*

SECTIO VI.

Quomodo remedia ægro applicentur, ſeu quomodo ſe medicus in remediorum applicatione & medica praxi gerat!

I.

MEdicus, egregiis ſecundum naturam paratis remediis, praxin aggredi cupiens cum bene & diu exercitato medico familiarem notitiam habeto, atque eius conſilio & auxilio perſæpe vtitor.

Communicato enim conſilio, de ſalute ægri iudicium redditur certius, & patiens felicius ſanitati reſtituitur. Et hac ratione opprobrium, quod vulgo obiectatur nouis medicis (Ein newer Artzt ein newer Kirchhoff. Nouus medicus nouum cœmiterium erigit) facile diluitur. Id quod mecum iam dudum præmeditatus volui cum quodam medicinæ Doctore non indocto inire fœdus amicitiæ, atque vt eo magis magisque in chymiatria proficerem, cum eo conuerſari & per literas & alias vias. Idque feci, quod eum pro vero philoſopho habuerim. Literas cum eo permutaui aliquoties: Et vix vnas accipere potui, quarum ſtylum ſuperbia non efformaſſet. Tandem cum ego peramanter inuitatus me propter graues cauſas ei ſiſtere non potuerim, in me innocentem diris

diris inuehitur, diuina benedictione me exutum ſcribit, & nihil nõ molitur, quo à ſalutari medicinæ veræ ſtudio me abſtrahat. Sed nihil iſta curo. Deus dabit & eos, cũ quibus libere de re medica in ſalutem ægrorum deliberem, nimia ſapientia ſæpe ſtultitia eſt. In ſimplici naturæ via philoſophi ambulant. Quid prodeſt eruditio, vbi arrogantia dominatur? modeſtam ſapientiam ſemper diuinam iudicaui. Non omnes ſumus pares! ſi cui lux affulſerit, lucis viam cum modeſtia coniunctam incedat. Quamuis fatear, & quidem vere, me multis paraſangis ab ipſo ſuperari, tamen ſuę eruditionis eminentia forſan permotus à ſe me non adeo repuliſſet. *Deus & humilibus dat gratiam. Et Chriſtus ſapientiſſimus ſe humiliauit*, vt cum infimæ ſortis hominibus familiariter viuere, eoſq; inſtruere non erubuerit. Amo tanti viri eruditionem, quia alii, quos amo, eam mihi commendant. Sed magnam illam ſapientiam, quà in me abutitur, ex animo odi. Deus forſan certis de cauſis, quas ipſe nouit, noluit, vt cum eo, quem commune vtriuſque ſtudium mihi coniunctiſſimum reddere debuiſſet, amice de rebus noſtris conferrem. Itaq; ſibi viuat, atque hinc ſaltem, me non parum ex ipſius vehementibus literis fuiſſe contriſtatum, intelligat.

II. Ante omnia morbum, eiuſque cauſas explorato.

Fruſtra.n.remedia quæras aut adhibeas, nõ bene cognita cauſa: Curationis ſiquidẽ initiũ eſt cognitio morbi. Hic nõ cognoſcitur, niſi perſpecta cauſa: Tum.n.rẽ ſcire nos putamus, cũ cauſã eius cognoſcimus, ꝙ ita ſit.

III.

Radici & origini mali, non alibi, admoueto remediũ. *Querc.tetr.p.*40.

IV.

Remedium, cuius vires in obiecto morbo auferẽdo tibi ignorantur, non adhibeto, niſi certus ſit, illud vel ſano nihil detrimenti afferre poſſe: tum enim vtiliter experietur, quid poſſit, quid non poſſit medicina.

V.

Id quod in ſe manifeſtum venenũ habet, ægro non applicato, niſi venenum reuera ſeparauerit, & remouerit.

VI.

Impedimenta, quæ medicinæ energian retũdere videtur, ſubſidio proprio vel alterius tollito, ſi modo põt.

Sic luxata membra prius reſtituet: oſſa fracta diriget, vt ſint continua, &c. Et tu medicinam vel extrinſecus vel intrinſecus in conuenienti aliquo medio applicabit.

VII.

Cibum, potumq;, à quibus ſuble- [illegible]ro deſtinato. Iuſtam

VIII.

Iuſtam doſin medicinæ diligenter obſeruato.

De doſi remediorum particularium in ſpeciali medicinæ Hermeticæ ſyſtemate tractabimus. Doſis medicinæ vniuerſalis ex conſenſu philoſophorum eſt pondus vnius grani. Vide Zach. Gall *ſub finem ſui libri.*

IX.

Remedium non niſi benedictione ſanctificatũ in nomine Ieſu adhibeto. *Quæcunq;*, ait Doctor Gentium ad Coloſſ. *feceritis in verbo & opere, omnia in nomine Domini Ieſu facite, gratias illi agentes & Deo per ipſum.*

SECTIO VII.

Quomodo ſe gerat æger, dum ipſi remedium exhibetur!

I.

ÆGer agnoſcito, ſe peccatis Dei iram promeritum fuiſſe, atque ipſius permiſſu morbo affici.

II.

Deum ſibi reconciliato pœnitentia vera, ac deinceps Deum adorato, vt auxilietur.

III.

Recõciliato & inuocato Deo, verſi

medicum admittito,& de recuperatione ſanitatis aſſumpto remedio non dubitato.

Id eſt, certo credito, diuinitus virtutem remedio à bene perito medico exhibito ineſſe, qua morbus ſuus euellatur. Tum non poteſt abeſſe, quin medicina ex voto operetur, morbum extrudat, & ſanitatem reducat priſtinam. Firma credulitas, ait verus ille philoſophus Oſualdus Crollius præf. in Baſil. Chym. ſpes indubia, amor & confidentia erga medicum, & medicinam ad ſanitatem plurimum conferunt, etiam aliquando vel plus, quam ipſa cum medico medicina. Fides naturalis (non loquor de fide gratiæ ex Chriſto) ingenita à Deo patre in prima creatione, imaginatio videlicet noſtra ita potens eſt, vt morbos ſanare vel excitare valeat, ſicut manifeſte apparet tempore peſtis, quando ex ſua propria imaginatione, ex metu & terrore generat baſiliſcum cœli, intoxicantem firmamentum microcoſmicum, è ſua ſuperſtitione, prout fides patientis adiuuat. Et paulo poſt. Fideli omnia poſſibilia, quia fides omnia incerta certificat: Deus nullo modo poteſt vinci niſi per fidem: Qui ergo in Deũ credit, ille operatur per Deum, & Deo omnia ſunt poſſibilia. Quomodo autem id fiat, perſcrutari non poteſt. Fides eſt ſaltem opus: opus illius, in quem creditur: Cogitationes ſuperant aſtrorum & elementorum

torum operationes; Dum enim cogitamus & cogitationibus fidem habemus, tunc fides perficit opus, & ſine fide nil fit. Fides dat imaginationem, imaginatio dat ſydus, ſydus (ratione matrimonii cum imaginatione) dat effectum vel opus. Fidem adhibere medicinæ dat ſpiritum medicinæ, ſpiritus dat cognitionem medicinæ, medicina dat ſanitatem: Inde ſequitur medicum fide oriri, prout credidit, promouet & adiuuat ipſum ſpiritus, ſpiritus videlicet naturæ ſeu ſydus medicinæ. Homo per fidem imaginationis ſæpe facit, quod optimi medici cum ſuis medicamentis idoneis nil poſſunt efficere; multoties etiam fides ſeu perſuaſio illa plures ſanat, quam vlla efficacia ſeu virtus medicamenti à medico exhibiti, vt ſuperioribus annis in decantata illa Panacæa Amwaldina vidimus & nunc in nouo illo medicinali fonte in finibus Miſniæ & Bohemiæ hoc anno emerſo, ad quem incredibilis infirmorum copia fere indies confluit: Cauſa non poteſt reddi alia, quam conſtans & exceſſiuus affectus ipſius ſumentis, quæ poteſtas eſt in ipſa anima ſumentis pharmacum, quando excuſſo omni metu aut ſiniſtra imaginatione fertur in aliquem magnum ſui deſiderii exceſſum: Anima enim rationalis excitata & vehementi imaginatione accenſa, ipſam etiam naturam ſuperat, & per ſuas etiam affectiones fortes multa renouat in cor-

pore proprio, & ſanitatem vel ægritudinem immittit, neq; ſolum in corpore proprio, ſed etiam in corporibus alienis. Efficacia huius naturalis fidei manifeſtauit ſe in muliere illa hæmorrhoidica & centurione. *Matt.19. v.21.* Hæc Crollius *p.83. & ſeq.*

IV.

Morbo exemptus & ſanitati reſtitutus æger Deo agito gratias: vt & medicus, quod ægrum per ipſius miniſterium è morbo eripuerit: idq; fiat ratione gratitudinis per ſe, & poſtea ad euitandã iram Dei cõtra ingratos.

SECTIO VIII.

Quid ſit vniuerſalis medicina, ex qua materia fiat, & quis eius vſus.

1. *(a)* Medicina vniuerſalis eſt *(b)* ſal *(c)* puriſſimum, *(d)* ſubtiliſſimum, *(e)* incorruptibile tam purgandi, quam corroborandi *(f)* vniuerſam hominis naturam facultate pollens.

(a) Variis appellatur nominibus: nimirum, *quinta rerum eſſentia, elixir, aurum potabile, lapisq; cœlumq; philoſophorum.* Quintã eſſentiam dicunt, quod ſit aliquid, quod non ex craſei elementorũ reſultarit, ſed aliquid præter hæc, & quaſi τὸ θεῖον quiddam, ſiue autorem rerum omnium, qui id creauit, ſpectes: ſiue admirandas eius virtutes atque effectus non

non temere ab elementari corpore promanare percipias. *Elixir* vocant, quod ſit ad vitam conſeruandam, morbosq; depellendos incõparabilis medicina. ***Aurum potabile*** vero, non quod ex ſolo auro aut ſemper ex eo fiat (fit enim ex omnibus rebus, quæ ſub cœlo ſunt) ſed κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dictũ, quod eius præſtantiam exæquet. Lapis vocatur, nõ vt ille, cuius contactu tranſeant in aurum (hoc enim auaritiæ inuentum eſt, atq; opus non medicorum vel medicinæ) ſed propter perpetuam atque inuictam durationem, aut quod de natura ſalis, ſalis, inquam, rerũ vitæ, in quo tãquam duriſſimo, firmiſſimoque corporum fundamento reliquæ virtutes cõquieſcunt. ***Cœlum*** deniq; *philoſophorum*, quod elementorũ inferiorum naturã longe trãſcendat (*b*) Sal oportet eſſe: quia balſamo noſtro, q nihil aliud, quã ſalinus ſpiritus eſt, corroborã lo deſtinatur: natura. n. naturam ſuam confortat ac iuuat: quippe natura à natura ſua cõfortata & adiuta expellit fortiter inimicũ ſuum, cũ naturaliter oĩs natura conſeruatiua ſui maxime eſt: atq; ita naturã habemus non modo ſociam, ſed amicam & officioſam adiutricem: ſiquidẽ illa ſola eſt medicatrix omnium morborum, etiam, *teſte Galeno lib. 3. Method.* primũ mouẽs omnis curationis: quippe abſq; eius robore vel vigore omnis medicina inutilis eſt, atque fruſtranea. (*c*) Puriſſimum eſto: quia omnes noſtri corporis impuritates euellere & era-

dicare debet. (*d*) *Subtiliſſimum eſto*, vt corporis noſtri craſſas, durasque ſubſtantias penetret, perfectiſſime cum noſtris ſpiritibus in vnam eſſentiam homogeneam coeat, atque tincturam incorruptionis, quicquid eſt de noſtra ſubſtantia, recipiat. (*e*) *incorruptibile eſto*: vt perfecte corruptione qualibet hominem exuat. (*f*) & corporalem & ſpiritualem naturam.

II. Cum vero duæ naturæ ſint in homine, corporea & ſpiritualis: eæq; in vno balſamico ſale conſpirent, neceſſarium erit, vt ſal quoque tuum, quo balſamum corroborare intendis, ex duabus naturis, corporea & ſpirituali, fixa & volatili in vnum balſamum medicinale contrahatur.

III. Vt igitur, remotis ambagibus, ad materiæ huius ſalis balſamici manifeſtam cognitionem peruenias, ingenue & candide illud, quod philoſophi ænigmatibus & figuris ſtudioſe occultauere, ex Quercetano aperio, aioq;, Salpetræ eſſe veram materiam arcani Hermetici, quod philoſophi medicinam vniuerſalem appellant.

Philoſophi enim vno ore confitentur materiam medicinæ vniuerſalis eſſe abiectæ

naturæ,

naturæ, vilis precii, vbique reperiri, etiam in fimetis & iumentorum ſtabulis. Quod ſane de re alia intelligi nequit, niſi de ſale petræ, quod duas naturas aperte in ſe complectitur, fixam & volatilem, corpoream & ſpiritualem. Nam nitrarius vt ſal ſuum petræ efficacius volatile & ad concipiendam flammam aptius reddat, detrahit ei pinguedinem (ſic loquuntur) hoc eſt, tollit & ſeparat eius ſal quod fixum eſt, idemque prorſus eſt ac ſal marinum vel commune, quod diſſoluitur in aqua communi. Econtra Sal petræ (quod vocant) conglaciatur in fruſtula talia, qualia conſpiciuntur: quod eſt *ſal volatile*: Hoc duas partes volatiles in ſe complectitur, ſulphuream alteram, alteram mercurialem: pars ſulphurea eius anima eſt mercurialis eſt ipſius illius ſpiritus acidus, qui diſſoluere poteſt corpus atque congelare ſpiritus, haud ſecus ac coagulat ipſum ſal petræ. Quicunque ergo ad magiſterium philoſophorum aſpiras, in ſale petræ illud quærito, atq; duas eius naturas, fixam & volatilem in vnam naturam balſamicam cogitato: id eſt, fixum fac volatile & volatile iterum fixum; dubio procul habebis illud, quod philoſophi hactenus omni ſtudio peruestigarunt, & poſſederunt. Clarius ſcribere non poſſum. Nondum enim manu certam expertus ſum viam, qua recta ad arcanum arcanorum perueniam. Ero contentus particularibus

meis operibus, vſq; dum Deus tandẽ, quando ipſi viſum fuerit, mei miſereatur, & illud largiatur, quod pectus meũ exaturet. Ex philoſophorum immotis rationibus id, quod profero, enatum eſt. Felicem te dixero, ſi potieris. Nihil vero attentes, niſi philoſophiæ veræ odore imbutus fueris. Errant, quicunque ſine philoſophia quicquam moliuntur. Forſan philoſophi ſimplicem eunt ſemitam: tu vero nimia ſubtilitate per auia oberras. Ora, ſtude & patienter operare, & ſine fructu tuus conatus non erit. Ita aiunt philoſophi.

III. Vt etiam dicam, quid mihi de vſu medicinæ vniuerſalis videatur, ſciendum eſt, medicinam noſtram, quæ eſt natura incorruptibilis ex ſolo & vnico grano incorruptibili elicita, nõ poſſe nos reddere incorruptionis participes, qua & corruptionem deponamus & vitam noſtram prolongemus, quando nobis in natura noſtra iã perfecte cõſtitutis nude ſine alia eminẽtiori præparatione propinatur: Nõ nego, medicinã vniuerſalẽ philoſophice præparatam, eoq; deductam, vt eorum, q̃ naturam cum materia ipſius conuenientem in ſe cõtinent, imperfectiones, impuritates & corruptionis ſcorias primario euellat & eradicet, nobis propinatã morbis omnis generis

etiam

etiam iis, quos vulgus medicorũ incurabiles eſſe opinatur mederi, atq; eos extirpare radicitus poſſe: Hoc vero nego, ſine eminentiori præparatione quemuis morbum abſolute eo arcano tolli, atq; vitam vere prolongari noſtram. Verum eſt, remedium philoſophorum vniuerſale vitæ prolongationi deſtinatum eſſe, & aliunde tanquam ex re naturali prolongationis vitæ cauſam haberi non poſſe, niſi ex illo, eminentius tamen exaltato & deducto, & quidem eo, vt plane à minerali ſua natura in vegetabilẽ abierit, priusquã à nobis aſſumptum fuerit: Eodem enim modo, quo minerales naturæ ad nutritionem noſtræ ſubſtantiæ faciunt, faciunt & ad vitæ noſtræ continuationem promouendam; nutritio.n. eo fit fine, vt diutius viuamus & cõſeruemur. Et ante omnia in medicinarũ præparatione naturã imitari debemus. Iam videmus mineralia noſtræ nutritioni nihil inſeruire, niſi à vegetabilibus inhibeantur & in naturas vegetabiles conuertantur, vt ita in iis, quibus veſcimur & fruimur, mineralium virtutes recipiamus atq; hauriamus. Qua de cauſa in legitima præparatione medicinam vniuerſalem à natura ſua minerali in vegetabilem permutemus neceſſe eſt, priuſquam eam ad corruptionẽ noſtrã amouendã & vitã prolõgandam aſſumamus. Hoc poſſe fieri philoſophia docet. Philoſophis ſolis hoc cõſecro fundamentũ. *Cuius natura eſt corruptibilis*

bilis non poteſt reddi incorruptibile, niſi radici volatili & corruptibili incorruptibilitas primo communicetur, vt per radicem eam tanquam vehiculum conueniens in corpus imperfectum incorruptibilitas corporis perfecti introducatur. Clarius rem aperio. *Solius ignis balſamici interuentu ſubiectum arcani extra imperfecta corpora & ſine his à craſſitie & corpulentia per ſuam ipſius naturam, omni alia excluſa, in ſummam ſubtilitatem abit, quæ balſamicæ radicis imperfectarum naturarum ſubtilitati æquipolleat, ita vt ſi ei addatur, eam confortet ad eradicandas impuritates omnes.* Quidni & ignis balſamici humani adiutorio extra hominis ſubſtantiam medicina Hermetica diſponente philoſopho, in ſubtiliorem nempe in vegetabilem & animalem naturam commutari queat? Quæ natura nihil eſt aliud, quam ignis humani in corruptionis natura imprægnati viua ſubſtantia & cœlum hominis, non metalli, nouum, cuius aſtra ſe ſubiectis antiquis, curſu priorum aſtrorum fere abſoluto, inſinuantia nouam plane vitam radicalem toti homini communicant, & ita, vt homo longiorem trahat vitam, efficiunt. Quod vulgus philoſophorum non credit, ſed potius ſibi perſuadet eſſe impoſſibile, ac proinde veram Hermetis ſapientiam ex mera ignorantia deridet, contemnit, & philoſophos veros ſub nomine pſeudo chymiſtarum, qui ſuis ſophiſticis receptiunculis innixi noctesque

dies-

dieſque in fornacibus ſuis aurum quærunt, nihilque niſi impuritatum ſentinam & damnum inueniunt, traducit. Verum ſapientes veri auro non inhiant, ſed naturæ myſteria in ſalutem hominis indagant, eruuntque, idque ſæpiſſime maximo cum fructu præſtant. Quicquid ſophiſtæ non niſi ſtipulis, & tenebris digni contradixerint. Non neſcio, hæc, quæ dixi, momis diſplicere, neque apud eos mereri fidem, cum nondum ſpecimen veritatis illis edidiſſe videar. Quibus ita reſpondeo. 1. ſiue credant, ſiue non credant, non curo. Illis hæc non ſcribo. Sat tamen ſcio penes me ex Dei benigne impertientis benedictione eſſe veritatem; atque hanc meam philoſophiam è lumine naturæ natam. Incredulitas ipſorum nihil mihi adimet. 2. Specimen meæ philoſophiæ eſto primum hic meus libellus, cuius ſane methodum mihi ipſa experientia peperit, philoſophicorum vero librorum lectio expoliuit & illuſtrauit. 3. Vt vuæ immaturæ nocent, maturæ proſunt: ita quoque ne muſæ meæ Hermeticæ alicui offenſionem & damnum inferant, indies ξὺν Θεῷ eo laboro, vt matureſcant, & cum fructu ad proximum redundent. Subito medicus verus non naſcitur: vt contra vulgus opinatur. Diu prius ſtudere atque operari, quam praxin aggredi oportet: Quæ vera medici perfectio eſt: Quemadmodum enim non facit

artificem inſtrumentorum neceſſariorum cognitio ſola, ſed vſus eorum debitus: Ita quoque non facit medicum principiorum medicorum theoria, ſed vſus eorum, qui eſt ipſa medici praxis. Quod vel ipſi plebeii artifices agnoſcunt, qui neminem artificis nomine donant, niſi artificii ſui ſpecimen ediderit, ex quo conſtet, ipſum cum fructu operari poſſe. Contra aliter fit in ſcholis, vbi Doctores medicinæ ſæpe creantur, qui ne vnum ægrum vel à leuiſſimo morbo liberarunt. Vale, Candide lector, & ſapientiæ Hermeticæ præſtantiam hinc agnoſce.

Epilogus.

Habes ita, Beneuole lector, Hermeticæ medicinæ generale ſyſtema breui & dilucidiſſima methodo concinnatum, idq; è lumine naturæ natum, atq; omnibus perplexitatibus exutum. Quod vero de medicina vniuerſali aliquid immiſcuerim, reprehendere noli. In generali medicinæ diſciplina non omittendum erat. Ad te philoſophum prouoco, non ad te ſophiſtam: non enim meo dicendi genere vſus fui, ſed philoſophorum. Illi me dubio procul intelligent. Quamuis ſophiſtæ contradictiones in hoc meo opuſculo deprehendere ſibi videantur. Auſus fui de eo arcano diſſerere, quia eius doctrinæ, quæ tantum theſaurum ſimul cum aliis infinitis arcanis & magiſteriis in ſe abſcondi-

tum

tum poſſidet, & tuetur, ſum genuinus filius, in ſcholis verorum philoſophorum enutritus, & tandem, ſi Deo altiſſimo viſum fuerit, magiſtrorum & Doctorum meorum numero & ordini adiungendus. Cum vero nondum ipſe, vt paulo ante ex me audiuiſti, manu medicinam iſtam eminentiſſimam ſim aſſecutus, ſperans tamen Deum tandem mihi daturum vel antimonii panacæam, de qua Querc. *tetrad. p. 398.* vel Elixir vitrioli, de quo idem *p. 381.* vel elixir ſalis marini, de quo *p. 347. & ſeqq.* vel aurum verum potabile, de quo *p. 440. differit*: rogatum lectorem beneuolum volo, vt ſaltem acquieſcat, vſq; dum Deus mei miſereatur: Tum enim, ſi quid ξὺν Θεῷ ex immenſis meis laboribus reportauero, id candide & ſine fuco illud communicabo. Interim particularia remedia, quæ maximum in curando pondus habent, ξὺν Θεῷ elaboraturus, iisque medicinæ meæ ſyſtema ſpeciale, quod iam præ manibus habeo, ſum illuſtraturus. Ora Deum, luminis naturæ vnicum autorem, vt ſua auxiliatrice manu mihi adeſſe pergat, & ego tuo commodo inſeruire queam. Cui ſoli Deo ſint laudes & gratiæ perpetuæ: Amen.

FINIS.

DE GENERATIONE RERVM NATVRALIVM

LIBER

EX VERO NATVRÆ lumine in gratiam ſincerioris philoſophiæ ſtudioſorum conformatus

A B

HENRICO NOLLIO.

Chriſtus Ieſus Dominus noſter:

Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem participem fieri regni Cœlorum.

FRANCOFORTI,
E Collegio Muſarum Paltheniano.
ANNO M. DC. XV.

MAGNIFICO, PRVDENTISSIMO VIRO, Dn. WIGANDO HEIMELIO. REIP. DREIſanæ Proconſuli, Sobrino amico & Mecœnati meo dilecto S.P. ex animo precor.

HENRICVS NOLLIVS.

NON ita diu eſt, *Magnifice, & ampliſſime vir, amice & patrone obſeruande, vbi apud me Gueilburgi fuit quidam vir doctiſſimus, pædagogiarcha & Logices profeſſor in illuſtri quodam Gymnaſio, atque obnixe me rogauit, vt ſibi principia aperirem, ex quibus ipſi ad ſecretiorem noſtram philoſophiam pateret aditus. Itaque cum in eo viro ſingularem humanitatem, & ex collatione mutua inſignem ingenii dotem atque acumen deprehenderem, ipſius petitioni deeſſe nolui, ac proinde diſſertan-*

do eum ad generationem rerum naturalium veſtigandam deduxi ſignificans, noſtræ philoſophiæ primarium fundamentũ per Deum in exquiſita generationis cognitione cõſiſtere. Quamuis vero hæc mea reſpõſio iſti viro ſimplex viſa fuerit, tamen id, quod dixi ipſa veritas eſt: Qui enim generationẽ perfecte intellexerit, verorum menſtruorũ, quorum in noſtra philoſophia vſus eſt, notitiam ſibi facile comparabit; imo viam inueniet, quã ſi imitando naturam iuerit, omnium nobiliſſimam medicinam ex conuenienti corpore per naturaliſſimum acetũ reſoluto & digeſto ad generationis modum creabit. Medicinam dico nõ aurum. Sophiſtæ enim in ſcriptis proceſſibus auaris & inſatiabili auri fame marceſcentibus auri faciundi deſiderium inculcant, & aureos pollicentur montes. Ars aurum facere nequit. Sola natura producit ſubſtantiam. Renouare vero imperfecta metalla per ſolam naturam, nulla re extranea admota, atque peregrinas naturas, à quibus eorum imperfectio dimanat, ab ipſis ſeparare philoſophi norunt: ignorant contra artem, qua ſola aurum fieri queat. Ars non producit ſubſtantiam, quamuis tranſplantatione & inſitione naturas in ſua ſpecie propagare

pagare & multiplicare ſciat: non tamen ſine natura. Id mihi certum eſt ex naturæ lumine, cuius ſolius contemplatio Deo benedicente & benigne iuuante, mihi hunc tractatum de generatione peperit, atq; in totũ perſuadet, vt credam, ad modum generationis veram medicinam præparãdam eſſe. Omne quod à natura in ſalutem hominis creatum eſt, crudum eſt, & vlteriori digeſtione indiget, vt vel in ſubſtantiam hominis vel in ſalubre medicamentum conuertatur. Alimentum intueamur: Hoc in hortulis noſtris nobis creſcit, in ſtabulis ſuſtentatur, atq; in agris, noſtra cura, prouenit. Verũ in ſanguinem noſtrum non mutatur, niſi ad modum generationis in ſtomacho noſtro putrefiat & ſoluatur, vt inde ad corroborandũ cor, reliquaq; mẽbra ſpiritus vitales proliciantur, ac tandẽ variis digeſtionib. præmiſſis ſanguis in ſemẽ humanũ, cuius virtute humanũ genus cõſeruatur & propagatur abeat. Quidni, quãdo vas putrefactionis in nobis eſt inſufficiens, naturã natura & philoſophico ingenio ſimiliter eo promouere poſſimus, vt crudum corpus extra carnem noſtram naturaliter putrefiat, digeratur, diſſoluatur, & ex diſſolutione natura ſpiritualis extrahatᷓ, qua

propter ſummam harmoniam ſpiritus noſter veluti in momento mirifice confortetur & reſtauretur, vt hac ratione in fortiter exturbandis & exterminandis vitæ noſtræ hoſtibus, nimirum morbis grauiſſimis ſuo fungatur officio! Si exquiſite cognouerimus, quid ſit, quo putreſcat ſemen, & quomodo id fiat, dubio procul in hominis ſalubrem vſum vere philoſophicas medicinas indagabimus, & aſſiduitate laborum ζωὴ Θεῷ *reportabimus. Hac in re nobis vere philoſophica Alchymia inſeruit: Huius enim ope ſcimus digerere, ſoluere, putrefacere, purum ex impuro eruere, atque perfectam generare medicinam. Cuius artis tanta præſtantia eſt, vt in circumforaneos omnium fraudum artifices, tyrannos, delicatulos, otiis indulgentes, heluones, vſurarios, Plutiq; cultores non cadat, ſed pium, beneficum, auaritiæ oſorem, ſedulum, laboris nullius pertæſum atq; naturæ ſubtilem perſcrutatorem requirat. Quemadmodum nos doctiſſimus philoſophus & poeta Augarellus hiſce verbis dilucide docet:*

Hanc non impuris manibus fraudator auarus
Attingat, decoctor item, quiſquiſue fabrili
Arte valet, mollisue etiam cum perdita cordi
Otia Mercatorq; vagus, &c.

Et

Et paulo poſt:

Aſt ſapiens ſuperos inprimis qui colat, & qui
Noſcendis penitus cauſis modo gaudeat; huc ſe
Conferat & totis ſectetur viribus artem.
Tunc Comes hærebit grauis exploratio rerum
Intima naturæ paſſim veſtigia ſeruans.
Tũc mora ſollicitos curſus remorata ſequetur,
Et viſura olim ſtabilis patientia finem.

Audite, medicaſtri, qui noſtram hanc diuinam ſcientiam odio habetis: Audite, inquam, & dicite, qui vos medicorum numero vere adſcribere poſſitis, cum ſine Alchymia, quæ ex lumine naturæ manifeſtato in hoc libro robur ſuum trahit, medicina imperfecta eſt! Siquidem hæc vna primo morbis macrocoſmicarum ſubſtantiarum (dum ἐγχειρήσεις *& naturas ex lumine naturæ ſuppeditat, quibus purum ab impuro ſegregamus) mederi nos docet, vt ab iis rebus exemplum curæ certiſſimæ ſumamus, atq; ita habitum curandi nobis ingeneremus. Profecto qui metalla renouare neſcit, quomodo ille reſtaurare hominis balſamum, eumq; ad morbos propulſandos confortare ſciat? Qui neſcit, quid in Antimonio aurum purget, quomodo perſpectum habeat medicamentum, quo naturæ peregrinæ moleſtiam & morbum nobis inuehentes reuellantur! Qui extra microcoſmum arſenicum figere, ſub-*

limato corroſiuam naturam adimere, ſpiritus ſulphureos cogere & lapides per veram & conuenientem naturam confringere nequit, nunquam arſenicales ſalis ſpiritus edomare, corroſiua ſalia abluere, edulcorare & mitigare, virus ſulphureum coagulare & demere, calculumq; veſicæ diſſoluere & diſſolutum foras eiicere in homine poterit. Tutius eſt vires medicamentorum in rebus macrocoſmicis primum experiri, quam in microcoſmo. Quod iam dudum veri philoſophi abunde intelligentes eo ſtudioſius vere philoſophicam Alchymiam tractauerunt, vt Hermetem philoſophorum patrem & principem imitati medicinas fabricent efficaciſſimas & propellendis morbis aptiſſimas: præcipue vero illud remedium, quod vniuerſale vocant, omnium morborum certiſſimam antidotum. Ad quod & animo & re aſſequendum cum non parum momenti conferat hic meus de generatione tractatus, diutius eum ſtudioſam iuuentutem celare nolui, ſed in lucem emittere in animum induxi, vt veritatis hoſtes noſtræ ſcientiæ fundamentum & baſin eſſe lumen naturæ cernant, & filii artis magis magisq; ad veritatem ſtudioſe inquirendam animentur, quo

ſi

ſi forſan ex hoc meo libello aliquid profece-rint, Deo ante omnia agant gratias, meq; etiam ſua iuuent opera.

Tibi vero, Magnifice & Conſultiſſime vir, ſobrine & amice intime, hoc quicquid eſt, inſcribo, vt animum promptum ad recompenſanda innumera beneficia, quæ ab initio ſtudiorum vſq; in hanc horam cumulate in me contuliſti, videas, atque te mihi Mecœnatem multis ab hinc annis electum ſcias. Quamobrem non poſſum non te orare, vt hoc leuidenſe munus beneuolo animo accipias, meis Muſis patrocineris, me contra morſus maleuolorum hominum, qui vndique in me conuolant, defendas & perpetua tua amicitia digneris: Repromitto, me nunquam aliquid ξὺν Θεῷ *perpetraturum, quod ius amicitiæ noſtræ violet, ſed ſemper attentaturum, vt magis magiſq; copulemur, & arctius vniamur. Quod Deus Ter Opt. Maximus faxit. Amen Vale & Nollii ſtudia, vt reuera facis, promouere perge. Dabam è Muſæo patrio 9. Nouemb. Anno 1612.*

PRÆFATIO IN LIBRVM DE GENERATIONE.

GEnerationem rerum naturalium ex lumine naturæ ſcripturus ingenue fateor, me non ex Athenienſium Sophiſtarum libris hac in doctrina vnquam profeciſſe, neq; ex iis aliquid mutuo accepturum, atq; in vſum meum conuerſurum: Non enim penes illos veritas eſt, ſed maxima cæcitas nixa & ſtabilita vanis hominum vanorum opinionibus & contentionibus, quibus veluti limitibus vulgus ſapientiam circumſcribit & metitur. Vt bello homines perimuntur: ita altercando veritas amittitur: ſiquidem dum de rerum natura diſputant, alter alterius non ſine magna arrogantia, qua quisque ſibi ſophiam arrogat, opinionem inſectari & refellere annititur: Atq; hinc à vero fundamen-

damento diſcedunt & in inextricabilem labyrinthum fictis principiis munitum dilabuntur, vt quis alius irretitus ſe ex eiuſmodi tricis difficulter expedire queat. Miſſis, inquam, his nugis,recta ad arcem ſophiæ ductu luminis naturæ poſſidendam accedemus, atq; ex ſolius naturæ contemplatione, Diuina fauente gratia, generationem rerum deſcribemus, vt inde noſtri cognitionem certiſſimam non ſolum nobis, comparemus, ſed etiam diſcamus, meditemurq; viam,qua ex perfectis corporibus medicinam morbis noſtrorum corporum expellendis ſufficientiſſimam eruamus & producamus. Quēadmodum enim homo, frumentum, herba, quodq; è ſuo ſemine,naſcitur; Ita eodem modo vera antiquorum philoſophorum medicina, qua non datur vlla præſtantior,ex perfectiſſimis corporibus & eſſentiis generatur. Non ergo limis oculis & obiter intuere,quod tibi ſum propoſiturus, ſed arbitrare, hanc doctrinam tibi fo-

re vtiliſſimam, vtpote cuius ductu ad minerabilium, vegetabilium & animalium cognitionem & metallicæ medicinæ inuentionem feliciſſimo veluti tramite proueharis.

LIBER DE GENERATIONE VNVS.

VT igitur exordiar, ſcias generationem rerum eſſe duplicem: *Ordinariam* & *extraordinariam*. *Extraordinaria eſt* qua diſſimile ex diſſimili naſcitur, vt mures, qui ex fimo à ſole generantur. Dicitur alias *Generatio æquiuoca*. *Ordinaria* eſt, qua ſimile ex ſimili producitur. Vt ex homine homo, ex leone leo. Appellatur aliis *vniuoca*. Quam decem propoſitionibus includam.

I.

Omne quod generatur, è ſuo *(a)* ſemine in *(b)* propria matrice naſcitur.

(a) Semen eſt corpus ſpirituale, ex quo incluſus ſpiritus nutrimentum aliunde attrahens in propria matrice corpus viuum cum multiplici ſemine protrudit. *Spiritus* hic quibuſdam philoſophis κατ' ἐξοχὴν ſemen appellatur; *Corpus* vero, in quo eſt, ſperma. Sed de vocibus nulli litem mouebo; cum de re inter nos conſtet. Spiritus hic ſeminalis eſt ſubtiliſſima ſeminis eſſentia, per naturam è corpore exaltata, atque in ſe totius corporis vires eminenter comple-

ctens, & præterea vim ſeminalem, qua corpus in ſpecie ſua propagari & multiplicari poſſit.

(*b*) Omne ſemen per ſe nullius eſt momenti, niſi ponatur vel ab arte vel à natura in matricem debitam: *Leſch. tract.8.* Matrix debita eſt, quæ cuiq; ſemini in ſuo regno reſpondet: ac proinde ſemen minerale mineralem, animale animalem & vegetabile vegetabilem matricem efflagitat. Matrices hæ probe diſcernendæ ſunt, ne in grandem errorem prolabamur. Mineræ ſubterraneæ ſunt matrices mineralium: Terra eſt matrix vegetabilium: vterus fœminæ eſt matrix animalium.

II.

Vt vero perfectum quid naſcatur, ſemen putreſcat & nutriatur neceſſe eſt.

Amen, Amen dico vobis, niſi granum tritici in terram proiiciatur & moriatur, ſolum manet: Sin vero emoritur, centuplum affert fructum, ait Chriſtus; *Ioan.12.* Nulla res poteſt animari & naſci, niſi per ſui corruptionem, putrefactionem ac mortificationem: *Lull. c.27. theor. teſt. mihi p.51.b. Roſ. phil. mihi pag.254.* Niſi ergo, ait Parmenides, corpus diruatur, confringatur, putreſcat & conuertatur in ſubſtantia ſubſtantiali, non poteſt illa virtus occulta extrahi, nec corpori miſceri.

Putre-

Putreſcit ſemen, quando *(a)* Sale eiuſdem naturæ in *(b)* humore conuenienti reſolutum ſeminis ſubſtātiam, promouente calore tenui, *(c)* penetrat, reſoluit & ſubtiliat, vt ſpiritus incluſus ex ſubiecta materia ſibi *(d)* domicilium conueniens, in quo ſuæ naturæ propagationem, & ſeminis multiplicationem operari poſſit, fabricet.

(a) Itaq; ſemen minerale ad ſui putrefactionem ſalem & humorem mineralem, vegetabile ſalem & humorem vegetabilem, (qui eſt communis aqua Sale terræ impragnata) animale ſalem & humorem animalem (qui eſt menſtruum fœminæ Sale matricis ſuæ ditatum) requirit. Ex his facile intelligi poteſt illud Baſilii Valentini, acutiſſimi philoſophi, quod lib. de magno mundi myſterio & ipſius medicina adducit, vbi in hæc verba fatur: *Metalla & mineralia iterum per mineralia confringi oportet.* Vbi tamen in vnoquoq; genere ſpecies diſcernendæ ſunt: nam vnaquæq; ſpecies ſuæ ſpeciei ſe coniungit & ſemen commiſcet, niſi monſtrum habere velis. Virtus cuiusq; ſeminis eſt, ait ſubtiliſſimus *Leſchus tract.7.* vnicuiq; rei in ſuo regno ſe coniungere, quia ſemen non miſcet ſe extra ſuum regnum naturaliter alicui rei. Itaq;

vt ſimile ſimile generet. Canis cum cane, leo cum leone, homo cum homine coeunt & ſemina miſcent. Et hoc eſt, quod Moſes ait, vnumquodq; animal è terra ſecundum ſuum genus creatum eſſe.

(*b*) Sine humore elementi aquæ, ait Baſil. *in octaua claue*, vera putrefactio fieri nequit: Nam humor eſt verum organum, quo ſal ſoluens intimos ſeminis receſſus adeat & aperiat: ſiquidem quando calore debito humor ſubtiliatur, & excoquitur, ſalis portio etiam in eo attenuatur, atq; idonea redditur & digna, quæ facile compactiſſimum ſeminis corpus permeet, ſibiq; ſimilem ſalis ſpiritum in ſemine deliteſcentem & quieſcentem ſuſcitet, atq; ad vegetationem promoueat.

(*c*) Liber ſpiritus ſpiritum eiuſdem naturæ vinctum & conſtrictum facilime expedire & vinculis exuere poteſt. Idq; fit 1. ratione actiuitatis, qua liber ſpiritus pollet: 2. ratione ſimilitudinis: ab hac enim habet, vt cũ ſpiritu ſalis corporis coniungatur, ac proinde ſuas vires in ipſum facilius exercere queat: Simile enim ſimili facile aſſociatur & intime vnitur. Iam ſciendum eſt, omnem ſpiritum in humore ſolutum eſſe liberum. Vnde calore mediante ſpiritum ſimilem carcere corporis compactũ & aſtrictũ (tanquam eum qui liberationem ſui anhelat atque ad actiuitatem ſeu actum efficaciter operandi aſpirat

aſpirat, inſtar magnetis, penetrato corpore, attrahit, ſe adiungẽdo corroborat, & hac ratione ad agendum inflammat, non aliter ac ſi ignis ab igne incendatur, vt ita corpus neceſſario mutetur, & putrefiat ab ipſo ſpiritu, cuius actio antea ligata erat: Spiritus enim ille concluſus, dum ab altero libero ſpiritu actum volatilem acquirit, foras nititur emergere, atq; ideo ſuum ſubiectum confringit, & facit, vt aliud corpus exinde naſcatur. Sic quando ſpiritus ſalis terræ in humore terræ immixto reſoluitur (omne ſal in humore proprio liqueſcit & ſoluitur) ſpiritus ille eſt liber: ſiquidẽ omne ſal in humore liquatum eſt actiuum. Hinc granum tritici in terram proſeminatum, cuius corpore veluti arctiſſimo compede ſpiritus ſalis vegetabilis continetur ligatus, ab eo libero ſpiritu penetratur & aperitur, vt ſal in aqua reſolutum ſpiritum vegetabilem è tritico ad actiuitatem & vegetationem excitet, & radicis ſubſtantiam, vnde reliquæ ſubſtantię poſt generandę nutrimentum è terræ ſinu communicetur, ante omnia in matrice propria producat. Notandum hoc in loco eſt, ſal quod poros corporis aperit, aliquando eſſe debile, aliquando forte. Debile ſi fuerit, ſale eiuſdem naturæ cum ſemine eſt corroborandum, & humor, qui ſal debile in ſe habet, eo imprægnandus, vt naturæ conuenientior & efficacior fiat ſolutio. Inſpiciamus generationem tritici. Plu-

uiæ ineſt ſal volatile ex reſolutione in terrā facta. Verum cum ſal illud propter terræ ſiccitatem nimiam ſolutioni fœcundiori non ſit ſufficiens, agricolæ agros fimis, in quibus Sal eiuſdem naturæ cum tritico eſt, (fimus enim eſt ex ſtramine, ſtramen ex tritico, ex quo naſcitur) impugnant, vt pluuia deſcendens & humor terræ ſe immiſcens ex terra & fimo ſal exugat nitroſulphureum, ſibique adiungat, quo confortatur & ſubtilius frumentum ad inferendam fœcunditatem & abundantiam frugum ſoluat. Si naturæ arcana videre deſideras, iam aperi oculos.

(*d*) Cum vis ſeminalis in intimis ſeminis receſſibus lateat, atq; in ſubtiliſſima ſalis ſulphurei portione conſiſtat, non poteſt euehi & multiplicari, niſi in humore maxume ſubtili & puro. Verum quia ſemen non ſubtilem humorem primo ex locis, vnde ei nutrimentum ſubminiſtratur, haurit, natura ante omnia tenetur formare inſtrumenta, in quibus humor ex elementis aſſumptus digeratur, ſubtilietur & ſumme purgetur, vt puriſſimam ſeminis eſſentiam ex producto corpore proliciat, atq; eam ad ſpeciei conſeruationem & multiplicationem adducat. Qua de cauſa natura prouida ex herbaceo ſemine radicem, interueniente putrefactione, primo format & deinde herbam foras protrudit, eamq; multis articulis interſtinguit, vt ſub

ſub initiũ in radice & deinceps in herba progerminante & abſoluta humor ex terra, cui ſemen iniectum eſt, hauſtus magis magisq; digeratur, & ex radice vim ſeminalem ad oram perpellat ſupremam, quo tandem matrice materię ſeminalis formata, ſubſidio caloris ſolis ſemen perfectiſſimum & propagandæ ſpeciei aptiſſimum colligatur. Sciendum vero hic eſt, ſæpe euenire, vt, quamuis natura ſeminalium progreſſuum inſtrumẽta & vehicula ex ſemine formauerit & perfecerit, ea tamen corpora, quæ eiuſmodi organis inſtructa ſunt, non fundant ſemen, idque fieri ob eam cauſam, quia pori corporis, per quos vis ſpermatica eleuari & ad ſuperficiem extrudi debet, citius productione ſeminis per externum frigus, vel ſalis inſiti fixi exaltatam fortitudinem conſtipantur, vt ſemen vel haud matureſcat, vel penitus reprimatur. Id quod videre eſt in pomorum Aurãtiorum arboribus, quæ quidem hic creſcunt inſtar aliarum arborum; Sed tamen in his frigidioribus locis non ferunt fructus: in Italia vero & alibi, vbi eſt illarum ſolũ natiuum, dant & ferunt fructus. Similiter aurũ & cætera metalla ſemen ſibi incluſum non emittunt: pori enim ipſorum à ſalis fixi ipſis innati vigore & excellentia eius ſeminis effuſione conſtringuntur & coarctantur, ne vis eorum ſeminalis prodire poſſit. Qua de cauſa philoſophi hoc agnoſcentes & naturæ auxiliari volentes felici cum ſucceſſu aurum &

cætera metalla in materiam primam redigunt, vt poros ſalis fixi robore & eminenti potentia obturatos & congelatos, aperiant atq; ea ratione maximo cũ fœnore ad fundendum ſemen metalla promoueant: Non aliter ac Caſellis in Mauritiano horto fieri ſolet, vbi arbores pomorum Arantiorum per hyemem calore externo fouentur, vt ipſarum fructus matureſcant. Qui habet aures audiendi, audiat.

IV.

Humor, qui putrefactioni inſeruit, eſto corpori putreſcenti proportionalis.

Et *ſecundum quantitatem* & *ſecundum receptiuitatem*. Tum vero humor *ſecundum quantitatem* eſt corpori putreſcẽti proportionalis, quando tantum humoris à corpore recipitur, quantum ſubtiliationi eius ſufficit. *Secundum receptiuitatem* vero ſeu *modum receptionis*, quando humor non ſubito ſed paulatim à corpore ſeu ſemine bibitur & aſſumitur: ſubita enim humoris imbibitio conuenienter viuificare nequit, ſed facit, vt quædam partes corporis inſufficienter propter ſubitum ingreſſum ſoluantur. Hinc ex tritico naſcitur lolium. Quare philoſophi volunt, artis filios terram noſtram irrigare cum longa mora & nimia attritione.

V.

Calor, qui putrefactionem promouet

mouet, ita lenis eſto, vt humor, in quo ſal reſoluens eſt, in materia permaneat, & ab ea haud recedat.

Idq; fit duabus de cauſis, 1. quia in huiuſmodi humore putreſcens materia vitam accipit, 2. quia calor lenis ſalem ex humore in materiam diſpergit, vt commode corpus putrefiat. Si vero exceſſiuo & adurenti calore humor pelleretur, materia combureretur & deſtrueretur, ita vt nec animari, nec naturæ conuenienter putrefieri poſſet, ac proinde ex materia ſecundum naturam nihil generaretur. Arrige aures, Pamphile.

VI.

E matrice, in qua putrefactio inchoata eſt, putreſcens non amouetur, vſq; dum id, quod intenditur, abſolutum fuerit.

Itaq; ſi ex grano tritici multa grana colligere volumus, illud in terra vſq; in tempus ordinariæ meſſis relinquimus & deinceps maturas metimus ariſtas. Semina non oportet metere, ait *Auicenna p.424.* donec tempus meſſis aduenerit,

VII.

Matrix quo purior fuerit, eo conſtantior & perfectior fœtus in ea generabitur.

Pura enim matrix purum dabit fructum: ait *Leſchus* doctiſſimus *tract.8* Quo vero quid purius, eo perfectius & durabilius eſt in ſuo

genere: vt contra, quo quid impurius, eo imperfectius & inconſtantius eſt, ac proinde matrix impura, quæ fœtum impurũ profert, neceſſario fœtum fragilem producit. Quod cum in omni genere deprehendatur, homines naturæ ſuccurrere volentes matricē impuram, vbicunq; eam offenderũt, expurgare attentauerunt. Vnde ipſa experientia ſapientum conſilio exorta docuit, impuritates & peregrinas naturas, quibus conceptio & generatio fœtus in matrice impeditur, vel artis naturam natura (quando ad impuritatũ ſegregationē corroboratione opus eſt) iuuãtis ingenio, vel nuda euulſione & reiectione (quando iam ante à matrice excluſæ & ſeparatæ ſola mole ſunt impedimento, ne matrix concipere & debite ſemen fouere poſſit) eſſe tollendas & reuellendas. Id quod Agricultura nobis ad oculũ demonſtrat: ibi enim ſal agri ſale fimi ſulphureo & pingui corroboratur, lapides, qui mole ſua agrũ ſterilem & incultum reddũt, eiiciuntur & cardui extirpantur, vt matrix frugum nomen fœcundi agri reportare poſſit. Idem philoſophi in ſuo magiſterio faciunt. Agrũ enim ſuũ purgant, ſulphure naturæ ditant, & deinceps ſemen ſuum in eum proiiciunt, vt de nouo generetur, & in nobiliſſimam medicinam cõuertatur. Confer *Lull. c. 26. theor. teſt. mihi p. 50.*

VIII.

Matrix ea vere idonea eſt, quæ facilem ſemini permittit ingreſſum.

Id eſt, quæ ſemē facile recipit, nec cl uſu-

ra ſua eſt impedimento, vt ſemen introeat. vbi ſciendum, quando duritie matrix clauditur & ſteriſeſcit, matricem ſæpe mouendo aperiri & reddi poroſam, vt ſemini concipiendo fiat apta. Sic agros induratos arando, occando & glebas diſcutiendo renouamus & rarefacimus, vt frumenti ſemen facilius ab agro admittatur, & fœcundiorem ſuæ ſpecie multiplicationem fundat. Si naturæ arcanis in gloriam Dei & proximi vtilitatem potiri deſideras, hac in re etiam ſedulum & & impigrum agricolam imitare: Tum Deus dubio procul tibi conſtantiſſime in vera pietate laboranti id dabit conſpiciendum, quod pectus tuum exaturet.

IX.

E corpore, quod vel alienis naturis deſtruitur, vel cuius vas ſpermaticum vi reſcinditur, ſemen haberi nequit.

Sic haud aliquid commodi reportarent, qui ſemen ex corpore humano per aquas fortes euerſo & grauibus morbis deformato eruere conarentur. Eunuchus, quia eius membra genitalia exciſa ſunt, ſuam ſpeciem propagare nequit. Sciant ait ingenioſiſſimus *Leſchus tract. 7.* artis filii in arboribus amputatis fruſtra quæri, quod ſolummodo in viridibus reperitur. *Attende*, fili artis, & ſequere philoſophos.

X.

Corpus, quod vnius generis nu-

trimento conſeruatur, eo, quod diuerſo & multiplici nutrimento ſuſtentatur, eſt durabilius, perfectiusq; & conſtantius ſemen emittit.

Quo enim aliquid ad vnitatem propius accedit, eo eſt durabilius: in vnitate enim nulla eſt diuiſio. Vbi nulla corruptio, ibi cõſeruationis perpetuitas. Itaq; quod vnitati vicinius eſt, longius conſeruatur, quam id quod eſt ab ea remotius: Minor enim in illo diuiſio, in hoc maior. Quo vero quid durabilius eſt, eo firmius & perſeuerantius ſemen è ſe protrudit.

Concluſio ad Lectorem.

HÆc eſt breuis & ſolida generationis doctrina: Quã ſi Athenienſes intelligerent, non vſq; adeo deriſui & deſpectui haberent ſcientiam Hermetis eminentiſſimam: Quam qui poſſidet, vere & ſapientia & opibus diues eſt. Id vero hic ſub finem monere lubet, ne Candidus lector, vbi in meis libris in Athenienſes calamum ſtringo, arbitretur, me loqui de omnibus medicis & philoſophis medicinam & philoſophiam in Academiis profitentibus, ſed tantum de iis, qui falſis & fictis principiis innixi & authoritate aliorum faſcinati omnem veritatem in vno Galeno & Ariſtotele nobis fuiſſe relictam opinantur, Galenicæ medicinæ imperfectionem & Ariſtoteleos dogmatum phyſicorum errores pertinaciter defendunt, ac ex praua animi diſpoſitione, infantiliq; ignorantia ſanam Hermetis ſapientiam reiiciunt, aliosque ſtudioſos ingenio ſubtili pollentes ſuis miſellis ratiunculis à tam ſaluberrimo & omnium præſtantiſſimo ſtudio deterrent. Hos, inquam, mea ſcripta feriunt & ſophiſtas eſſe ingenue teſtantur & probant. Vale, Benigne lector, & mihi tibi bene cupienti faue.

FINIS.